ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

DE

CHINA CHINA

IN SYNOCHIS PUTRIBUS

ANIMADVERSIONES.

Quæ profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt: nam non minus ea, quæ damno ſunt, quam ea, quæ opem ferunt, teſtantur, quod Ars ſit Medicina.

Hipp. lib. de Arte.

DE

CHINA CHINA

IN SYNOCHIS PUTRIBUS

ANIMADVERSIONES

PETRI JOANNIS

VASTAPANI

AMPLISSIMI TAURINENSIS MEDICORUM
COLLEGII SOCII,

NEC NON

MEDICI IN NOSOCOMIO URBIS MAJORI
VICARII.

TAURINI MDCCLXXIX.

APUD GUIBERT, ET ORGEAS.

VITTORIO
AMEDEO III
RE DI
SAR
DEGN

VICTORIO AMEDEO III.

REGI OPTIMO

SARDINIÆ, &c. &c. &c.

PETRUS JOANNES VASTAPANI.

UNdecimus excurrit annus, REX INVICTISSIME, quo tuendæ pauperum valetudini omnem, quantam concedunt

corporis, animique vires, operam navo: hanc Reipublicæ neceſſariam perpetuo quidem mihi ſuaſit pii, bonique civis officium: at Inſita, Rara, Tuæque Gloriæ Splendori cumulum imponens, & nunquam ſatis memoranda Caritas, qua populos nuperis elapſis annis, & quotidie egenos largiſſima proſequi dignatus es, & pergis, voluntatem intenſiſſime inflammavit, ac maximo ſemper erit incitamento. Celebre Urbis Noſocomium, Majus Xenodochium, Orphanotrophium, nuperque Hoſpitium vir-

virginibus militum parentibus orbatis dicatum, ne otio tabeſcentes, aut annonæ difficultate preſſæ vitiis corrumpi poſſent, Liberaliſſimam Tuam, ac Piiſſimam in pauperes Erogationem nunquam ſatis concelebrabunt. Quæ non ferventiſſima vota, quas non preces fundet Univerſus Orbis in Deum, qui TE, Regiamque Prolem nobis concedat ad neſtoreos annos! Intenſiſſimi Amoris Tui teſtes ſint Cives Cuneenſes, Strambini Incolæ, inclyta hæc Urbs, quam gentem ab epidemico morbo paucis ab hinc annis

annis oppreſſam Sapiens Tuus, Fortis, Piiſſimus Regius Amor conſiliis, manu quantocius liberandam curavit. Hæc diu, noctuque me perpendentem, REX AUGUSTISSIME, *tanta ſollicitudo tenuit, ut mihi deeſſe putaverim, ſi in grati, obſequentiſque animi teſtimonium nullam meorum laborum rationem Regio Tuo Nomini humillimus nuncuparem. Inter numerosa, quæ uſus, & repetita obſervatio mihi ſuppeditarunt, argumenta unum ſeligendum e re duxi, cujus debita adminiſtratio in ſummum ægrorum*

cedit

cedit emolumentum, maximam in perniciem præpoſtera. Munuſculum eſt, ſi Tuam Virtutem, Potentiam, Dignitatemque conſidero: at recreor, animumque reſumo, dum Clementiam ſuſpicio, & Animi Magnitudinem, Quibus non confidere gravius ſit crimen, quam confidendo interdum aliquid aberrare. A Tui ergo Animi Excelſitate hoc qualecumque de tenui, inopique penu depromptum induſtriæ meæ monumentum benigniſſime exceptum iri ſpero: hocque Tuis Regiis Auſpiciis, Quæ alias (ſi vi-

tam,

tam, & vires dabunt Superi) Se digniores colligendi obſervationes fortiori erunt impulſui, meque totum ſupplicem, & addictiſſimum dico, commendo.

IMPRIMATUR.

F. VINCENTIUS MARIA CARRAS Ord. Prædicatorum
S. T. M. Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

V. VELASCUS Medic. Colleg. Pr., & Reg.

V. Se ne permette la Stampa.

Di FERRERE per la Gran Cancelleria.

Errata, & menda typi.

Pag. 4. lin. 24. quatuorque ejuſdem &c. *leg.* phlegmatis acidi cum drachmis iiijſſ: quarum priores portiones ſolius acidi, poſteriores vero intenſi acidi, & alcali urinoſi ſigna exhibuerunt.
Pag. 11. lin. 31., & paſſim alibi attemperantia *leg.* temperantia.
Pag. 15. lin. 25. manu feriebant *leg.* manum feriebant.
Pag. 19. not. 28. lin. 17., & alibi adfligantur *leg.* affligantur.
Pag. 23. not. 33. lin. penult. ad Gauconem leg. *ad Glauconem.*
Pag. 30. lin. 20. principio ſynochorum *leg.* in principio ſynochorum.
Pag. 40. lin. 19. præpopera *leg.* præpoſtera.
Pag. 41. not. lin. 21., & paſſim alib. ſaponaceis *leg.* abſtergentibus.
Pag. 48. lin 18. ſtypticitate ſua *leg.* ſtyptica, qua gaudet, vi.
Pag. 63. lin. 1. extruſionem *leg.* eruptionem.
Pag. 78. lin. 5. in urina, quæ, leg. *in iis, quæ.*
Pag. 90. lin. 29. edulcoratam *leg.* edulcatam.
Pag. 93. lin. 22. leg. cum pulpa Tamarindorum coctum.
Pag. 121. lin. 12. fœtidiſſim *leg.* fœtidiſſimi.

SUMMA RERUM,

Quæ in hoc Opuſculo continentur.

Proluſio, in qua rerum tractandarum ordo proponitur. . . . . . pag. 1. 2. 3

§. 1.

Siſtens principia Chinæ chinæ analytica methodo juxta varios Auctores tentatæ. 4. 5. 6

§. 2.

Definitio ſynochi putris, qua paucis evincitur, a ſanis phyſiologiæ legibus recedere febris putridæ nomen daturam . . . ibid., & 7
Quænam eſſe videatur proxima hujus febris cauſa . . . . . ibid.
Hæc a priori demonſtrari nequit. ibid. & 8

§. 3.

Duplex lentoris genus 9
Phlogiſticum nempe, aut rheumaticum, & ſepticum, *ſive in corruptionem pronum* 10

Quænam a priori evincant haſce cauſas 11. 12
Quid in conſtitutionibus epidemicis Taurinenſibus, Cuneenſi, & Oppidi Strambini notatum ſit not. (*) 9
Utrum hæ febres merito epidemicæ dici potuerint . . . . ibid.

§. 4.

Conjuncta lentoris a principio phlogiſtico nati . . . 13. 14

§. 5.

Signa acris fomitis corruptioni obnoxii . . ibid. & 15. 16
Cur acre præcipuum, & ſui generis ſit principium ſepticum *nota* (28) 16. 17. 18. 19
Quo modo differat a viru varioloſo, morbilloſo, ſcorbutico, ſcabioſo, aliiſque . . . . ibid.
Ejus natura a poſteriori demonſtratur. ibid.

§. 6.

Utrum ratio Corticem peruvianum in ſynocho putri ab alterutro horum lentorum nata ſuadeat. 17. 18

Conſideratio cauſarum evidentium, & cauſæ proximæ lentoris phlogiſtici, aut rheumatici hunc evidenter expungit . . 19. 20. 21
Auctoritas, & experientia id confirmare videntur . . ibid. & 22. 23. 24

§. 7.

Symptomata, quæ ab acri ſeptico *principio pendent, in examen vocata, ducibus ratione, & obſervationibus, æque noxium Chinæ chinæ uſum confirmant . 25. 26*

§. 8. & 9.

Reſponſum illorum objectioni pugnantium pro uſu Corticis, dummodo, ut ipſi volunt, materies, quæ nimia eſt in primis viis, evacuata fuerit. Refellitur opinio hæc in initio, & incremento febris momentis a Theorica, Praxi, nec non auctoritate depromptis . . 27. 28. 29. 30

§. 10. & 11.

Neque memorati fontes hunc permittunt in ſtatu, & decremento. ibid. & 31. 32. 33. 34. 35. 36

§. 12.

Confirmatio petitur a cadaverum ſectione . . . ibid. & 37. 38
Utrum, quæ in hac febre denatis inflammatio detegitur, legitima ſit, an potius notha juxta Gottlieb Ludwig.; hanc confirmare videntur multa phænomena ſynochos putres comitantia, & remedia temperantia, obtundentia, ſubacida, & acida mineralia . . . 36. 37. 38
Horum poſtremorum cautio . . . . ibid.
Experientia uſum calefacientium, & ſubadſtringentium refellere videtur. 39

§. 13.

Cur longior, quam par eſt, Chinæ chinæ uſus febres intermittentes in continuas abire faciat . . . . . ibid.
Reditus morborum ſpaſmodicorum a ſuppreſſa febre periodica Chinæ chinæ ope robur addere videtur enarratis 39. 40

§. 14.

Tempus offerendi Corticem peruvianum in ſynochis putribus . . . . ibid.

Quænam cautiones requirantur . ibid.
Auctoritas Joannis Huxham, Francisci Torti 41. 42
Cur hi Auctores ipsum excludant a synochis putribus . . ibid.
Ad hunc quandoque confugiunt in febribus essentia petechialibus. 43

§. 15.

Responsum illorum objectioni, qui affirmant primam febrem genio periodicam, etsi in continuam abeat, semper tamen curandam esse Cortice peruviano . ibid. & 44
Cur febres vernales intermittentes diversam ab autumnalibus ejusdem naturæ medelam sæpenumero expostulent ratione Chinæ chinæ . 45

§. 16.

Chinæ chinæ usum non admittunt clarissimi Scriptores de epidemica febre per varios Florentiæ tractus grassata anno 1767., & *seq., Archibaldus Pitcarnius* ibid. & 46

§. 17.

Summa in præscribendo Cortice Baglivi circumspectio . . ibid. & 47

Cur adeo infelix ſæpenumero ſit ægrotantium exitus, qui febre periodica laborantes in continuam lapſi ſunt ex aſſumpto Cortice. ibid.

§. 18.

Quid ſenſerit Gulielmus Ballonius . . 48
Quas cautiones ſibi velit China china etiam Huxhamiano more præſcripta . . . . . ibid.

§. 19.

Sententia Pauli Gottlieb Werlophf . . 49
Chinam chinam excludit a febribus continuis, ex alio fomite, ut inquit, *malignis ſtricte dictis, continentibus, inflammatoriis, exanthematicis* . . . ibid.
Quanti interſit de mente hujus Auctoris diſtinctio febrium, ut rationalis, & tuta ſuccedat harum curatio, in faciles, genuinas, tutas, ſalubres, & difficiles, inſidas, degeneres, & noxias 50
Quæ ſit opinio Joannis Baptiſtæ Morgagni . . . . . ibid.
Conſilium Friderici Hoffmanni, & quo innixus fundamento a Cortice peruviano abſtinendum eſſe doceat. 51

§. 20.

Momenta a clariſſimo TISSOT *propoſita adverſus Chinam chinam in febribus bilioſis illuſtriſſimi* VALCHARENGHI *veſtigiis adhærente* 52. 53

Refellit vim, quam Chinæ chinæ multi tribuunt, vaſorum ſcilicet obſtructiones reſerandi (exceptis illis, quæ a mera debilitate vaſorum originem trahunt), & perſpirationem, papulaſque retroactas ciendi, revocandique. ibid.

Diſtinctio neceſſario facienda eſt inter vim remediorum directam, & indirectam 54

Ratio habenda eſt redundantis materiei morboſæ, temporiſque, quo Natura concoctionem molitur . ibid.

Quænam ſit juxta Hermannum Boerrahaave vera curandi febres methodus . . . . . ibid.

Interpretationem hujuſce methodi tradit Commentator Gerardus Vanſwietten, & Præceptoris leges confirmat auctoritate Thomæ Sydenham . . . ibid. & 55. 56

§. 21.

Infirmatur illorum ratiocinandi modus, quo contendunt, Chinam

chinam, ceu optimum, & fere ſpecificum *remedium in ulceribus partium externarum, in earumdem gangræna, & ſphacelo, haud minus efficax, & tutum eſſe debere adverſus ſynochos putres* . . . 56. 57. 58
Ab experimentis Pringlianis id minus recte deducitur . . . ibid.
1. *Analogia id confirmatur venenorum, quæ diverſam pro diverſa, qua ſubeunt corpus, via actionem edunt, duce inter alios Joanne David Hahnio* . . ibid.
2. *Argumentum deſumitur a febris abſentia, uti obſervatur in hiſce morbis externis* . . . 58
3. *Vitalis motus defectus in parte gangræna, aut ſphacelo affecta ſuadet Corticis uſum, hunc prohibet calor nimius in ſynocho putri* 59

§. 22.

Ulcera pulmonum probationem abſolvere videntur . . . 60
Gerardi Van-ſwietten mens de efficacia Chinæ chinæ adverſus gangrænam, & ſphacelos externarum partium . . ibid. & 61. 62

§. 23.

Antonius De-Haen, Fridericus Hoffmannus, Richardus Morton Chinam chinam, ceu tutum, & ſpecificum, ut multi ſentiunt, non admittunt in ſynochis putribus, variolis male moratis, in febribus petechialibus, & phthiſi. ibid. & 63. 64. 65. 66

Cui methodo juxta Antonium De-Haen rationali inhærendum ſit in febribus acutis continuis putridis. 63

Inutilis eſt, & noxius de ejus mente in hiſce febribus . . . 64

§. 24.

Hiſtoriæ, quas adducunt Chinæ chinæ fautores, ab Antonio De-Haen deſumptæ pro firmanda vi Chinæ chinæ in extrudendis variolis, revocandiſque puſtulis miliaribus nil roboris habere videntur . . . ibid. & 65

Indirectam eſſe Chinæ chinæ efficaciam in hiſce morbis comprobant remedia purgantia, quæ quandoque juxta opportunitatem alliciendis ad cutem variolis, & morbillis ſunt præſentanea . . 66

§. 25.

Cauſa frequens obſtructionum haud in Chinam chinam juxta multos, ſed in repetitos acceſſus, non adhibito Cortice, refundi ſæpiſſime debet. 67

Quæ ſint in arthriticis, podagricis, & ſcorbuticis circumſtantiæ uſum Chinæ chinæ admittentes, quæque hunc prohibentes . . . ibid.

Quæ infortunia emergant ab indebita in hiſce morbis Chinæ chinæ adminiſtratione . . . 68

§. 26.

Quando ſit tutus, & efficax, & ubi noxius Cortex peruvianus, exponitur ab Antonio De-Haen, Friderico Hoffmanno, aliiſque . 69. 70

§. 27.

Neque indiſcriminatim uſus eſt Chinæ china Richardus Morton in variolis, & in qualibet phthiſeos ſpecie. 71. 72. 73. 74. 75. 76

Hujus uſum permittit Auctor in variolis, ſi, viribus veneni fractis, periodicæ exacerbationes, & remiſſiones cum benigna febris indole ſint; illum expungit in

imperfecta variolarum eruptione, & in febre naturam continentis anomalæ *adepta* . 71. 72
In morbis a colluvie ſordium natis, in ſinceris variolis damnat Chinam chinam ceu inidoneam. ibid. & 73
Inimicum eſſe teſtatur Corticem peruvianum phthiſi a diatheſi *putrida ortæ, a duris tuberculis, aut ulceratis, licet febris fuerit de intermittentium genere* . . . . ibid.
Curatio phthiſis a crapula, a ſcarlatinis febribus natæ quænam eſſe debeat de ſententia hujus Auctoris . . 74
Multum confert China china thoracicis remediis, & pulmonaribus commixta phthiſi, quæ a febre intermittente, ceu ab eadem cauſa proxima gignitur . . 75

§. 28.

Hiſce traditis accedit ſuffragium Friderici Hoffmanni, aliorumque . . ibid. & 76. 77. 78

§. 29.

Corticis peruviani uſum prudentiam requirit, accuratam rationem cauſarum prædiſponentium, occaſionalium, proximæ cauſæ, ſym-

ptomatum, anni conſtitutionis, & tempeſtatum . . . . ibid.
Novitatis libido, præoccupata opinio, non intellecta funditus Auctorum mens, medicina rationalis, & obſervatio ſepoſitæ cauſa ſunt errorum frequentiſſima . 79
Scrupuloſa indagine febres continuæ ſubintrantes a ſimpliciter Remittentibus, & Malignæ a Malignis probe diſtinguendæ ſunt de Franciſci Torti ſententia. ibid. & 80

Faſciculus hiſtoriarum, quibus allatæ animadverſiones confirmantur . . 81

HISTORIA I.

Ex qua evidens colligitur Ipecacuanhæ utilitas . . . 82
Perniciosus Chinæ chinæ uſus, ſumma veſicantium, & remediorum ſubacidorum, alvum emollientium, & detergentium utilitas . 83. 84. 85

HISTORIA II.

Exhibitus larga doſi Cortex peruvianus adverſus febrem tertianam perniciosam ne dum inutilis eſt, ſed eamdem abire ſinit in continuam mali moris . 86. 87

Veſicantia, ſubacida antiſepticis moderate aromaticis commixta, tum eccoprotica, *& acida mineralia mire profuerunt* . . 88

HISTORIA III.

Cur Ipecacuanha præſcripta ſit . . . 89
Cur miſſio ſanguinis, & remedia paregorica, *licet non adeo dubia viderentur tertianæ perniciosæ ſigna, Cortice tamen peruviano tutius remedium habita ſint* . . 90
Poſtmodum Cortex ex recurrente tertianarum more febre datus nocet, & febris fit continua . . 91
Hac non obſtante, hic denuo præſcribitur, & febris acuitur ſæviori-bus ſtipata ſymptomatibus . . 92
Sanguinis detractio, poſthabito Cortice peruviano, interna, & externa antiphlogiſtica . . . 93
Subacida, demulcentia, & veſicantia curationem feliciter abſolvunt. 93. 94

HISTORIA IV.

Æger tertiana exquiſita laborans licet unciam unam cum dimidio Chinæ chinæ opportuno tempore ſumſerit, in continuam tamen febrem incidit gravibus ſtipatam conjunctis . ibid. & 95. 96

Fructus non mediocris percipitur ex venæ ſectione, tum a remediis temperantibus, alvum lenientibus, & ſubacidis . . ibid. & 97

Epiſpaſtica fortiora, moderata cardiaca, & antiſeptica, *demum* hypnotica *ſummæ fuerunt utilitatis 98*

HISTORIA V.

Cujuſdam fœminæ, quam tertiana legitima inivit, cui etſi peruvianus Cortex debita quantitate exhibitus fuerit, continuæ tamen typum febris adepta eſt . 100

Ipecacuanhæ ceteris vomitoriis præferendæ, nec non veſicantium, ſuccorumque detergentium, & temperantium utilitas . . . 101

Non mediocrem quoque tulere opem cucurbitulæ ſiccæ, & remedia antiſpaſmodica . . ibid. & 102

In periodicam febrem relapſæ ægræ nocet Cortex denuo præſcriptus . 103

Metaſtaſi *ad pectus facta materiæ morboſæ obiit ægra maraſmo confecta. 104*

HISTORIA VI.

Apertiſſime refellens antiſepticam Chinæ chinæ efficaciam in ſynochis putribus 105. 106

Radicis braſilienſis, & ſubacidorum probat utilitatem . . . 107
Tum camphoræ, radicis ſerpentariæ virginianæ, & dulcis vitrioli ſpiritus efficaciam probat. ibid. & 108
Demum veſicantium neceſſitatem . . ibid.

HISTORIA VII.

China china largiſſima doſi ſumta febrem legitimam tertianam fugat . . . 109
Vix elapſa hebdomada, acuta pectoris febris ægrum adoritur . . . ibid.
Bis vena cubiti ſecta, aquoſa nitrata, & lenes clyſteres profuerunt . 110
Paullo poſt ſynochi putris indicia emergunt . . . ibid.
Hinc abſtergentium ope, ſubacidorum, aperientium, & olei e ſeminibus lini febris, & pectoris incommoda notabiliter remiſere . . ibid.
Initio ſeptimæ diei omnia in pejus ruunt, accedente ictero: veſicantia, repetitum oleum ſeminis lini, & aquoſa, ſubacida cum fructu adhibita ſunt . ibid.
Ceſſatio veſicantium quam mali ominis fuerit . . ibid.
Sinapiſmi, *remedia antiſeptico*-aromatica, & *cardiaca ægrum a morte ſervare haud potuerunt . 112*

HISTORIA VIII.

Mulier chlorotica ab emmenagogis *emolumentum cepit non mediocre* 113

Succedit febris legitima tertiana, cui debellandæ adhibita China china ne dum profuit, ſed nocuit ita, ut, irritis veſicantibus, temperatis cardiacis, & acidis mineralibus, brevi occubuerit numeroſiſſimis obortis petechiis, exque naribus hæmorragía. 114. 115

HISTORIA IX.

China china ne dum febrifugi *munere fungitur adverſus veram febrem tertianam, ſed hanc in continuam abire ſinit* . . 116

Sanguinis miſſio alvum lenientia, Radix braſilienſis, abſtergentia, & antiſeptica *perbelle profuerunt.* ibid. & 117

Puſtulæ, quæ una cum petechiis efflo-ruere, utrum miliares dicendæ ſemper ſint 118

A quo nam fonte ſæpenumero repetendæ . . . 119

HISTORIA X.

Febris rheumatico - bilioſæ ſanguinis detractione, & alvum lenientibus, remediis primum, dein abſtergentibus, & ſubacidis feliciter ſuperatæ . 120. 121. 122

Febri huic ſuccedit legitima tertiana, quæ Cortice Peruviano tractata in continuam remittentem abit. ibid.

Hæc iterum evaneſcit diluentium, ſubacidorum, & laxantium remediorum uſu . . .

HISTORIÆ XI. ET XII.

Allatis ſuperioribus fidem adjungunt, ſive Chinæ chinæ ratio habeatur, ſive remediorum ſubacidorum, eccoproticorum, *nec non veſicantium, & cucurbitularum* . ibid. & 124. 125. 126. 127

HISTORIA XIII.

Infelicem Chinæ chinæ exitum evincit . . . 130. 131

HISTORIA XIV.

Repetitus juxta monitum Franciſci Torti Cortex peruvianus tertia-

nam quidem fugat legitimam, at non prohibet, quin biduo poſt ſynochus putris pediſſequa ſit 132
Utilitas remediorum leniter purgantium, Ipecacuanhæ, & cardiacorum . 133
Iterata pro novo febris reditu China china nocet pectori, & remedia bechica, *amara, & aperientia reſtituunt rem . ibid. & 135*

HISTORIA XV.

Ipecacuanha perquam utilis eſt . . ibid.
Cur, licet febris ſit tertiana exquiſita, nondum præſcribatur China china 136
Amara, detergentia, & ſubacida vincendæ febri imparia ſunt, hanc fugat Cortex peruvianus . ibid.
Hujus uſus ad aliquot dies continuatus minime impedit, quo minus vehementiſſima acuta febris ægrum invadat 137
Sanguinis miſſio, temperantia, ſubacida, & blande alvum moventia vix quidpiam boni præſtant . . . ibid. & 138
Iterata ſanguinis detractio, epiſpaſtica fortiora, acida mineralia, antiſeptico-*aromatica, & antiſpaſmodica non mediocri ſunt ægro levamini . . . ibid.*

Alvi fluxus criticus 139
Tinctura Chinæ chinæ Huxhamiano more data remedium eſt præſentaneum . . . 140

CONCLUSIO.

In qua utilis ſubacidorum remediorum, & veſicantium uſus, Corticis vero peruviani noxius confirmatur, Ducibus Clariſſimis in arte Viris Taurinenſibus, & Cuneenſibus. 143
De veſicantibus in ſynochis putribus animadverſio. Nota (*) . . 147

COROLLARIUM I. 150
——— *II., & III.* . . . . ibid.
——— *IV. V. VI.* 151
——— *VII., & VIII.* . . . 152

DE CHINA CHINA IN SYNOCHIS PUTRIBUS ANIMADVERSIONES.

PROLUSIO.

QUum remediorum vis, & opportunitas ex obſervationibus ſæpius, iterumque ad rationis trutinam, experientiamque deductis eluceat, neque aliquod ex tot, ac numero pene infinitis adinveniri queat remedium, quod uni morbo conſtanter, perpetuoque medeatur; factum hinc eſt, ut vel illa, quæ ſpecifica vocantur, ſuis oporteat circumſcribere limitibus, neque hæc in morbis tantummodo natura diſſimilibus, ſed in ipſis quoque genio, & ſpecie affinibus appoſite a medico rationali caute, & ſumma cum prudentia præſcribi debeant: quemadmodum enim ab horum circumſpecto, & prudenti uſu multorum pendet

ægrotantium ut plurimum ſanitas, ita non paucos, ſi cæco animo, aut falſa præconcepta opinione adhibeantur, in diuturnorum morborum, ſi non in chronicorum, aut mortis, periculum conjici nemo, credam, inficias ibit. *In medendo enim non ſufficit*, inquit clariſſimus Chriſtianus Gottlieb Ludwig (1), *præſentia mala avertere, ſed diſpiciendum omnino eſt, an forte futura, quæ inde emergunt, pejora ſint, quæ res nonniſi ex diligentiori morborum ſingularium dijudicatione patet.* Porro quum Chinæ chinæ uſus ampliſſimus, & ſumme efficax a quamplurimis prædicetur in ſynochis putribus vulgo, ſed improprie, putridis dictis, quin immo penes multos fere unicum, eximium, & tutiſſimum remedium ſit, alii vero caſtigatiorem ferentes ſententiam non tantam antiſepticam virtutem ipſi tribuant; officia, & vitæ rationem, quæ reipublicæ debeo, negligere crediderim, ſi quas obſervationes colligere mihi datum fuit tum in Noſocomio Divi Johannis Baptiſtæ, ac Civitatis, tum in epidemicis Conſtitutionibus Taurinenſi, Cuneenſi, & Oppidi Strambini, paſſimque alibi, non communicavero. Opportunitas diſcendi, obſervandique plurima mihi fuit in Noſocomio, Ducibus clariſſimis, omnique ex parte commendatiſſimis in Academía noſtra Profeſſoribus Archiatro IGNATIO SOMIS praxim legente, & NICOLAO BROVARDI Inſtitutiones medicas docente. Neque ſit, qui me credat hæc me-

(1) *Adverſ. pract. vol.* 1. *part.* 1. *pag.* 253.

meditantem novitatis libidine ductum vanæ gloriæ litare, aut qui in re minus firma certum interponere audeam judicium, vel assensum negare observationibus, quas in aureis clarissimorum virorum codicibus scriptas invenio; absit his contradicendi voluntas; id tantum mecum ipse constitui (neque rem minus gratam veritatis amatoribus me facturum spero), ut, quæ observaverim per longam satis exemplorum seriem, candide, & modeste referrem, quodque ferendum fuerit judicium, id totum penes æquos rerum æstimatores relinquerem: quare gratissima, & consolationis plena res mihi erit, si quæ contexere datum fuit, minus invisa videbuntur Lectori benevolo, idque erit alias, si vitam, & vires largiri dignabitur D. O. M., colligendi observationes incitamento non mediocri: secus si fuerit, me quidpiam adhuc feciſſe credam, dum alios in observando diligentiores ad veritatem in dies magis eruendam, firmandamque compulero. Jam vero, quemadmodum ordo, ut inquit Oratorum Princeps, memoriæ quammaxime confert, ita & Opellæ nostræ, quo clarius dicenda eluceant, perquam necessarium esse dijudicamus. Primum igitur pauca prælibabimus de cortice peruviano methodo analytica ab Auctoribus tentato: 2. ad genericam synochorum putrium contemplationem juxta observata nostra ingenue descendemus, necnon principaliora ipsarum conjuncta varia pro variis temporibus in examen vocabimus: ut 3. ex his inter se se collatis, & ad rationis trutinam,

adque auctoritatem, experientiamque deductis appareat, utrum in hoc pharmaco tanta resideat virtus, quanta passim a multis prædicatur adversus synochos putres, an potius pro demonstratione sufficiat, in hujus remedii usu suspenso pede, & circumspecto incedendum esse, neque tanta cum festinatione ad ipsum, ceu ad sacram anchoram confugiendum.

§. 1.

CHinæ chinæ (*remedii generosi*, ut inquit præclaræ eruditionis vir Paulus Gottlieb Werlohf in lib. *de limitanda febris laude*, & *Censura corticis Peruviani*, quod *divinæ providentiæ munus* appellat, *quum nihil adhuc supra natura, vel ars æmula exhibuerit*) principia scrutati Auctores pauca hæc tradunt: magnam scilicet terræ copiam in ipsa adinveniri substantiæ fixæ gummeo-resinosæ unitam, ex qua si leviter abradatur cortex (2), aromaticus prodit odor, saporque amarus subadstringens; etiamsi, quod volatile est, exigua adeo quantitate sit, ut remedii virtus in id refundi nullo modo queat (3). Ex unciis quatuor cum dimidio hujusce corticis crasse contusi unciam unam obtinuit Stephanus Franciscus Geoffroy (4) puri phlegmatis acidi, quatuorque ejusdem intensi acidi, alkali urinosi signa exhibentis: ex his enim helio-

(2) *Triller de Chin. chin. in Thesaur. medicament. pag.* 215.
(3) *Charteuser sect.* 15. § 5.
(4) *Mater. medic. part.* 2. *de Chin. chin. pag.* 278.

liotrôpii tinctura cærulea in rubrum vertebatur colorem, quemadmodum ſubrubro tingebatur charta cærulea: turbida evadebat ex hoc admixto acido, ac lacteſcens ſublimati corroſivi ſolutio. Præter hæc quartam fere unciæ partem olei craſſioris axungiam porcinam conſiſtentia æmulantis eduxit, reſiduum erat terra, quæ per calcinationem ad albedinem tentata quidpiam ſalis fixi nonnihil falſi lixivii ope educendi præbebat. Non admodum diverſa obtinere contigit Neumann, & Charteuſero: de horum ſiquidem ſententia nullo ſcatet oleo eſſentiali: empyreumaticum (5) enim eſt, quod nudi ignis vi, violentique in auras abigitur, dum deſtillatus cortex debito modo præparatur: hujus olei pondus juxta eximium Gaſparem Neumann (6) ex uncia una corticis eductum vix drachmas duas æquat, dum liquidi ſpirituoſi, & aquoſi aciduli quantitas ad duas aſcendit, fixique alkali ad ſcrupulos duos. A gummoſa parte repetendum eſſe ſaporem Chinæ chinæ amarum, a reſinoſa ſtypticum auſterum volunt memorati Auctores: quo vero ex principio pendeat virtus febrifuga, & quo nam agat modo, licet ingenui cum aliis multis fateantur ſe ignorare, experientia tamen, & analogia (7) freti affirmant, virtutis, qua gaudet remedium hoc, ſpecificæ potiorem partem ſibi velle reſinoſum principium,

(5) *Charteuſer loc. citat.*
(6) *In poſthum. prælect. chemic.*
(7) *Vid. Baumè Elemens de pharmacie tom.* 1. *pag.* 239. *& ſequentibus.*

ceu ſtypticitate præditum: conjecturam ſuam firmo ſtare talo opinantur, conſiderantes ſimplicem pulverem extracto actuoſiorem eſſe, magiſque tutum. Quacumque enim arte præparetur extractum, numquam omnis in ipſo reſinæ quantitas obtinebitur: reliquum enim, ſive, ut inquiunt Chimici, caput mortuum vi adhuc pollet fugandi febres: id prudentiores viri jamdudum noverunt, noſtriſque temporibus omnes illi, qui differentiam hanc probe callentes tuto ægrorum ſaluti conſulere volunt, quotieſcumque de febribus pernicioſis, periodicis nervorum anomaliis, aliiſque hujuſce farinæ morbis agitur: his enim in caſibus ſubſtantiam extracto antеponendam fore nemo ſanus negabit.

§. 2.

PAucis his de Chinæ chinæ principiis delibatis, ad genericam ſynochi putris contemplationem deſcendamus. Hujuſce febris nomine illam intelligimus, in qua præter acceſſiones ſine intermiſſione, & dolores graves (8), urgentes, humores a naturali ſtatu declinantes ad alkalinam indolem vergunt: ſive hæc, ut inquit immortalis Hermanni Boerhaave Commentator Gerardus Vanſwieten (9), a febre ipſa, ſive ab aliis ante apparitionem febris originem traxerit: febrem hanc alii ex acri fortaſſe urina, & fœtida decepti, ex alvi fœcibus olidiffi-

(8) *Celſus lib.* 3. *cap.* 2.
(9) *Boerhaave aphor.* 563., *ejuſque cl. Comment. tom.* 2. *pag.* 420.

olidiſſimis, graveolentibus ſudoribus putridam improprie (10) vocant. Cauſam proximam hujuſce febris ex effectibus, quos per obſervationes detegere datum fuit, aperte conſtitit, in humorum lentore conſiſtere inſolitæ, ut jamdudum a ſummis viris (11) notatum fuit, acrimoniæ juncto, ex quibus illud fluidarum partium vitium, quo ad phlogiſticam, vel putreſcentem indolem diſponuntur, deducebamus juxta doctiſſimi Pringle ratiocinationes, & obſervata (12). A priori namque cauſam hanc proximam velle proſequi, quotieſcumque agitur de morbis epidemicis, neque id exigit provincia noſtra, nec onus par viribus eſt, quum, teſtibus eximiis viris (13), omnes, quas de natura, ſpecialique morborum epidemicorum indole multi protulere, rationes theoreticæ tantum ſint altiſſimis obvolutæ tenebris, erroribuſque obnoxiæ, & adhuc dum ſolida, accuratiſſima deſiderentur obſervata, ex quibus conſtet, quodnam ſenſile vitium ſex rerum non naturalium his occaſionem præbuerit. *Morbi enim*, inquit immortalis Hippocrates (14), *de repente non accidunt hominibus, ſed paullatim, collecta ma-*

(10) *Vid. Galen. meth. med. lib. 9. cap. 3. pag. 204. Charter. tom. 10., Scardonam.*

(11) *Galen. de intern. affect. .... meth. med. lib. 9. cap. 5., Boerhaave aphor. 730., ejuſq. Commentator.*

(12) *Oſſervazioni ſopra le malattie d' armata tradotte dal chiariſſimo Franceſco Serao.*

(13) *Thom. Sydenham, Frideric. Hoffmannus, Herman. Boerhaave.*

(14) *De diæta lib. 1.*

teria morbifica, ſe produnt: & alibi (15): *morbi partim ex vivendi ratione, partim etiam ex ſpiritu, quem vivendo trahimus, proveniunt.* Hinc veneranda antiquitatę probatum eſt, univerſaque medęntium ſchola (16), & perpetua obſervatione confirmatum, morbos epidemicos ex inſolitis, perturbatiſque temporum viciſſitudinibus ſuſcitari juxta laudati medicinæ parentis verba inquientis (17): *morbi tales erunt, qualia fuerint & tempora*: etiamſi negari nequeat, vim Univerſi abſque patientis aptitudine agere non poſſe. *Oportet enim*, inquit Galenus (18), *in omni cauſarum genere diligenter advertere, ex qua maxime potentia ægrotare contingat, deinde corporum diſpoſitiones, tam quæ eidem conſentiunt, quam quæ adverſantur, conſiderare.* Quam ob rem ſilentio preſſa cauſarum univerſalium conſideratione, quicumque fuerit harum in corpora agendi modus, quid a naturali ſtatu alienum

(15) *De natura homin.*

(16) *Zacut. Luſitan. de medicament. principum hiſtoria lib. 4. hiſtor. 49., quæſt. 47., Isbrand. Diœmerbroeck de peſte lib. 1. cap. 8. pag. 18., Joh. Jacop. Valdſchmitt oper. medic. pract. tom. 2. diſput. 38. pag. 323., Daniel Sennert. inſtitut. medic. lib. 2. part. 2. cap. 12., & de febrib. lib. 4. cap. 2. pag. 796., Bernard. Ramazzin. de conſtit. ann. 1690. §. 22., Johannes Pringle lib. citat. part. 1. cap. 1., part. 2. cap. 2., S. A. D. Tiſſot diſſert. de febrib. bilioſ., Huxham. diſſert. exhibens obſervationes quaſdam circa conſtit. epid. ann. 1750. §. 9., Thomas Sydenham de morb. epidem.*

(17) *De humoribus.*

(18) *De different. febr. lib. 1. cap. 4.*

num in fluidis, ſolidiſque partibus ægrotantium ſynocho putri laborantium generatim animadvertere datum fuerit, conſiderabimus.

§. 3.

DUplex lentoris genus ab aliis jam notatum (19) nos obſervavimus cum in ſynocho putri ſporadica, tum in epidemica, quæ Civitatem Cuneenſem, ejuſque agrum univerſum graſſata eſt anno 1775. a menſe Januario ad finem circiter ſequentis anni; tum in epidemica Taurinenſi annis 1776., & 1777.: demum in illa, quam oppidum Strambini miſerrime adfligentem vidimus una cum JOHANNE ANTONIO COSTA carcerum publicorum Medico primario, collega amantiſſimo, & practico noſtra in Metropoli commendatiſſimo (*). In aliis enim a materie phlogi-

(19) *Hermann. Boerhaave, Gerard Van ſwieten, aliique.*

(*) Quiſpiam fortaſſe hic loci quæſtionem nobis movebit, utrum hæ febres merito epidemicæ dici potuerint: huic pro reſponſione ſatis erunt, ni fallimur, aurea immortalis Hippocratis verba inquientis (de natura hominis pag. 228.): *Morbi partim ex vivendi ratione, partim etiam ex ſpiritu, quem vivendo trahimus, proveniunt: at utrumque hac ratione diſcernes. Ubi complures uno morbo eadem tempeſtate vexantur, in id, quod maxime commune eſt, quoque omnes utimur, potiſſimum rejicienda cauſa eſt: id autem eſt, quod inſpirando trahimus: quod enim vivendi cujuſque noſtrum ratio in cauſa non ſit, tam liquido conſtat, cum morbus omnes continenter attingat & juvenes, & ſenes, & mulieres, & viros, perindeque temulentos, & abſtemios, tum eos, qui maza, quam qui pane victitant, & eos, qui paucis exercitationibus utuntur*; hæc Hippocrates: *Morbi alicujus*

giſtico - rheumatica initio morbi putreſcentem ſuperante pendebat; vix in aliis ſigna conſpiciebantur a primis morbi exordiis, quæ lentoris cauſam *diatheſi* inflammatoriæ tribuendam eſſe ſua-

---

nomen eſt epidemum, ait Galenus (*in* 3. *epidem. Hipp. comment.* 3. §. 20.), *ſed qui multis in uno loco fiat, hic epidemus appellatur*: Hinc Thomas Sydenham (obſerv. med. circa morb. acut. hiſtor., & curat. ſect. 1. cap. 1. pag. 36., Franciſcus Boiſſier de Sauvages noſolog. method. morb. claſs. 3. §. 239. 240. 241.) illas tantummodo febres epidemicas dicendas eſſe contenderunt, quæ ab occulta quadam, & inexplicabili aëris perturbatione ſuam trahunt originem. Porro quod ita contigerit in memorata triplici conſtitutione, experientiſſimos teſtes provoco Medicos Taurinenſes, clariſſimum laudatum JOHANNEM ANTONIUM COSTA, & præclariſſimos Medicos Cuneenſes: licet enim admittamus diſcrimen, quod penes epidemiarum ſcriptores legimus (Thom. Sydenham lib. cit. ſect. 1. cap. 2. pag. 37., Joh. Nicol. Pechlinus obſervat. phyſico-med. lib. 2. obſ. 37. pag. 242., Joh. Arbuthnot ſpec. adfectuum aeris in corpus human., Albert Haller coll. med. pract. tom. 5. pag. 251., Georg. Horſtius obſervat. medicinal. tom. 1. lib. 1. obſ. 29. pag. 55. tom. 2. lib. 2. obſ. 28. pag. 180., aliique multi) paſſim nempe adnotaſſe ſigna, quibus modo in ſuſpicionem febris ardentis prima fronte induceremur, ut obſervavimus in Noſocomio, perque Civitatem, ſæviente febre Taurinenſi, aut febris ſimpliciter verminoſæ, uti vidimus Strambini, aut legitimæ febris inflammatoriæ initio hyemis, hacque provecta, vel tertianæ legitimæ, quandoque pernicioſæ autumnali tempore, uti contigit in conſtitutione Cuneenſi; fatendum tamen eſt, has omnes febres maturius, tardius, perſona depoſita, genium ſynochorum putrium manifeſtaſſe in omnibus, quotquot decubuere, abſque ullo ſexus, ætatis, temperamenti, cæliique conſtitutionis,

fuaderent; quandoque argumenta non æquivoca tenacitatis ab utroque principio natæ deprehendimus. Licet vero hæc lentoris diſcrimina obvia forent, collectio tamen omnium conjunctorum dili-

& poſitus diſcrimine: id experientia ob oculos medentium poſuit ita, ut pleno illuſtrium Medicorum Cuneenſium ſuffragio, cum quibus, ex honorificentiſſima Provincia mihi demandata ab Excellentiſſimo Sanitatis Magiſtratu conſilia ineundi gratia per tres hebdomadas agendum fuit, multoties coram Civitatis Decurionibus, (nulla Pringlianæ quæſtionis de natura lentoris inflammatorii mentione habita, vid. *Oſſervazioni ſopra le malattie d' armata mem. 7. pag.* 284., *uti & Valcarenghi med. rational. ſect.* 3. *cap.* 2. §. 306.) hæc decreta fuerint: 1. graſſantem febrem vere eſſe epidemicam: 2. licet febres in numeroſis ægrotantibus naturam inflammatoriam oſtenderent initio morbi cum peculiari alicujus corporis partis mutatione, cautiſſimam tamen habendam eſſe rationem in remediorum delectu, potiſſimumque ſanguinis miſſionis, ne hæc fortaſſe præcipitanter, & præter modum adhibita ferociori ſilentis adhuc putreſcentis miaſmatis, licet in orbem acti cum reliquis humoribus, evolutioni faveret: 3. conſequenter hujuſce morboſi fomitis, ceu proteiformium mutationum cauſæ præcipuæ quantitate (uti notat *Carolus Piſo ſelect. ior. obſervat.*, *& conſil. de morb.*, *affectibuſque præter naturam ab aqua*, *ſeu colluvie ſeroſa*, *& diluvie ortis*), qualitateque probe conſideratis, curandi methodum ea ordiendam lege, ut remedia, quæ indicata videbantur corrigendo principio rheumatico, aut emendandæ cuilibet alteri humorum *craſi*, prudenti manu adhiberentur, ne juſto fortaſſe religioſior ad hæc attentio foret, nulla ad ea, quæ communi cauſæ opponerentur, attemperantia nimirum, demulcentia, aperientia ſubacida, aut habito morbi, ægrique conditionis reſpectu, antiſeptica le-

diligens, & accurata evicit, lentori inflammatorio prævalere ſepticum miaſma in omnibus fere ægrotantibus. Hinc certa, ni fallimur, deduci poteſt ratio triſtium effectuum, quos paſſim notatos legimus (20), ubi a temperata, & circumſpecta methodo mittendi ſanguinis, lentorem phlogiſticum attenuandi ſcopo, receſſimus; licet anteactum vitæ genus, cauſæ occaſionales, eductus ſanguis, arteriarum motus hanc ſuaderent: lentorem ſiquidem a defectu, vel inertia motus vitalis ortum vidimus, qui, ut inquit Chriſtianus Gottlieb Ludwig (21), non poterat non *ſtaſim* lethalem in vicinia venarum, & arteriarum inflammationi ſimilem inducere, & mortem accelerare.

§. 4.

---

viter aromatica: 4. demum juxta variam cauſarum prædiſponentium, & occaſionalium rationem, proque circumſtantiarum varietate, majori ſcilicet, minorive cauſæ morbificæ intenſitate, ſymptomatum vehementia, diverſiſque temperamentis ab hiſce conſiliis recedendum eſſe ea prudentia, quæ clinici lateribus hærere ſemper debet, & a qua ſi quiſpiam deflectet, facillime errabit, quum juſta ſit regula, rerumque omnium, ut inquit Plato, moderatrix. Sunt enim certi denique fines, quos ultra, citraque nequit conſiſtere medicina rationalis.

(20) *Guil. Ballonius epidemior., & ephemerid. lib.* 1., *Zacut. Luſitanus Praxis hiſtoriar. lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 548., *& paſſim alibi, Tiſſot de febrib. bilioſ. Lauſan., Lazarus Riverius praxis Medic., Petrus Salius diverſus de febrib. peſtil., Joh. Gothofr. Salzman hiſtor. purpuræ miliaris albæ argentor. infeſtantis, Theodor. Angelutius de natura, & curat. febris malignæ.*

(21) *Adverſ. Medico-Practic. de ſtaſi ſanguinis in venis inflammationem mentiente vol.* 1. *part.* 1. *cap.* 7. *pag.* 185.

§. 4.

JAm vero conjuncta enarraturis notare liceat, hæc pro majori, minorive phlogistici principii, & putrescentis miscela, proque alterutrius vi prævalente diversa variis febris temporibus observata fuisse: generatim initio morbi pulsus erant celeres, admodum frequentes, inæquales, tactui non ita facile cedentes; tensa facies, calor digitos quasi pungens, & ab aliis febribus prorsus dissimilis, quum morderet, ut inquit Galenus (22), tactum, veluti fumus oculos, & nares: respiratio gravis, & anxia ægros fatigabat: urinæ, ceu optimum, notante Galeno (23), mutatæ humorum conditionis indicium, rubræ, turbidæ, ut plurimum tenues, & paucæ notabantur. Sitis erat inexplebilis; addamus ingentem totius corporis gravedinem, modo acutos, modo obtusos capitis dolores, & notabilem per totum habitum sensationem dolorem facientem; profecto ex his, ni fallimur, deduci satis commode potest lentor, si ad ea, quæ de causis caloris febrilis habet Gerardus Vansswietten, attendamus (24). Ingentem enim attritum, & magnum calorem nasci ex orto per ultimas vasorum angustias lentescenti humori obstaculo omnes concedunt, quemadmodum

(22) *De febri. differ. lib.* 1. *cap.* 9., *Charter. tom.* 7. *pag.* 185.
(23) *De Crisibus.*
(24) *De caus. lentor., vid. quoque Franciscum Boissier de Sauvages Nosol. method.*

modum ex ſanguine per extrema vaſorum nullo modo, vel difficile ſaltem tranſeunte inæqualis pulſus, & difficilis reſpirationis cauſa communis peti poteſt (25). A lentore namque *ſtaſes* ubique fieri, ſanguinem, ceteroſque humores craſſeſcere, cuilibet notum eſt. Id palam facit eductus ſanguis: dummodo lentorem diuturnum excipiamus, qui ſolutionem inducit in humoribus, quemadmodum ex ſignis mox tradendis in ſynocho putri contingere patebit, licet huic ſuſcitandæ lentor inflammatorius adjuncta cauſa extiterit: an bilis picea, quam initio febris per inferiora copioſiſſimam egerebant ægri, alio ex fonte repeti debet? Cur infauſtus purgantium draſticorum, aut fortiorum cardiacorum, vel ſudoriferorum uſus, ceu ſubtiliorem humorum partem vi exprimentium? Hunc ſane tympanites, ac pediſſequa ſæpeſæpius cruoris *ſtaſis* in inteſtinorum venis inflammationi ſimilis (26) ob viſcidos ibidem congeſtos ſuperſtites humores centies ob oculos poſuere.

§. 5.

ENarratis modo ſignis humorum ſpiſſitudinem initio febris arguentibus, addamus oportet illa, ex quibus acris corrupti fomitis indole, ut verbis utamur celeberrimorum in arte luminum (27), acutiore, ſæpe prorſus ſingulari prædiți præſentia certo deducebatur, progrediente

(25) *Van-ſwietten loc. mox. cit.*
(26) *Ludwig. lib. cit.*
(27) *Loc. cit.*

diente febre, notavimuſque ne dum ab hoc lentoris ſocio produci febrem, ſed & hunc magis, minuſque evolvi, atque exaſperari pro majori, vel minori febris impetu. Porro hujuſce ſingularis acredinis ſigna haud dubia erant tuſſis ſicca, moleſtiſſima, univerſi corporis tremores dolorem facientes, imbecillitas, crurumque, ac manuum omnimoda impotentia: urinæ primum ex humorum *ſtaſi* turbidæ, & rufæ breviſſimo temporis ſpatio ad aqueam modo, & cryſtallinam naturam accedebant, modo ſeri lactis colorem perfecte æmulabantur: frequentiſſima erat dyſuria, aut ſtranguria; nunc copioſiſſimo ſudore diffluebat cutis, nunc erat aridiſſima: vix referri poteſt, quot ex hujuſmodi ſingulari acrimonia notarentur pulſuum mutationes, quam ſæpe turbaretur reſpiratio. Subſultus tendinum frequentiſſimi erant, modo convulſiva, brevi ſtertoroſa evadebat reſpiratio. Pulſus, ut inquiunt practici, *irritationis*, uno die percipiebantur, vix hoc elapſo tardi, nullumque ſtimuli præbebant indicium: eodem die inæquales, aut intermittentes, aut confuſi, quandoque molles, alias tenſione a chorda tympani vix abludentes manu feriebant: verbo innumeræ erant, quas mobiliſſimum hoc acre principium gignebat intra nycthemeri ſpatium, proteiformes mutationes. At creſcente morbo ſæviebant omnia in dies magis, debillimi evadebant pulſus, celeres, creberrimi, aut dimidiati: facta ad caput, vel pectus, fatiſcentibus ob vaſorum atoniam ex prægreſſis irritamentis ortam moderatis evacuatio-

tionibus, morboſi humoris *metaſtaſi*, vel altius hoc in abdominis viſceribus impacto, ſopor, lethargus, tympanites, ſtertoroſa reſpiratio premebant infirmos. Ad ſummum tandem evecta gradum humorum corruptio in univerſalem atoniam ægros conjiciebat: alii ex hac in hæmorrhagias variis de corpore viis periculoſiſſimas labebantur, in multis numeroſiſſimæ efflorescebant petechiæ: hoc in rerum ſtatu ad duos, treſve dies excurrebat diriſſimus morbus, cui mortiferæ convulſiones, ut numeroſis conſtitit obſervatis, finem imponebant: acutiorem ſane, prorſus ſingularem eſſe cauſam proximam ſynochorum putrium jam ſatis, ni fallimur, ex hiſce conſtat, magiſque adhuc, ſi analogiam conſulamus, evidens erit (28).

§. 6.

---

(28) Acre varioloſum, morbilloſum propria efficacia ſanguinem inſpiſſare, veram in humoribus inducere phlogiſticam denſitatem, nemini vel leviter in arte verſato novum erit: & ubi in peſſimis variolis, aut male moratis morbillis ſymptomata obſervantur, quæ humores, ceu venenata vi fuſos reddunt, veneno alterius generis indole, ut inquiunt, *corruptoria* agenti nullis antea ſenſibus detegendo tribui jure poſſe non improbabilis eſt conjectura celeberrimi, & in artis illuſtratione feliciſſimi DOMINICI COTUNNII præſentis ævi decoris, & ornamenti; (*de ſedib. variolar. pag.* 157. *& ſeq.*), ſuffragante experientia: *Num vero*, inquit, *quæ variolæ hac corruptoria indole ſunt infames, veneno ipſi varioloſo eam ſortem unice debeant, an alterius generis veneni admiſſioni, difficile dictu eſt: ſed tamen in hoc* corruptorium *genus variolarum multis exemplis eos maxime vidi incidiſſe, qui capillo erant ruſo: non improbabilis in iis conjectura ad id valuiſſe bilis*

§. 6.

JAm vero hiſce prælibatis, utrum utilis eſſe poſſit, & ſano ratiocinandi modo conſentaneus Chinæ chinæ uſus in hiſce febribus, conſiderandum venit. Porro vel communiores omnium fere ægritudinum juxta mentem immortalis Sydenham, omniumque ſapientiſſimorum in Me-

---

flavæ redundantiam, & ſanguinem ex eo ad putredinem ſingularem *proniorem: nam flavedinem capillorum a bile flava, quæ facilius putreſcit, fieri dixit Hippocrates: ceterum non unam ob cauſam perſuaſum mihi eſt, veneni varioloſi generatim indolem eſſe unam, cui ſi ſanæ hominis naturæ vires ſuccurrant, non ea effectus alios edere poſſit, quam quos ſimplex edat inflammatio ..... Nam ſi ſemina in iis forte lateant gangrænoſa, quidni efferantur varioloſi veneni additione?* Principium igitur acre ſepticum ceu cauſa proxima ſynochorum putrium adeo diſcrepat a veneno varioloſo, & morbilloſo, ut hi morbi, quotieſcumque viget conſtitutio epidemica febrium aut putrium ſynochorum, aut malignarum, vel petechialium, triſtem ut plurimum ſortiantur exitum, teſte experientia, non aliam certe ob cauſam, quam ob prævalidi miaſmatis cum varioloſo, aut morbilloſo mixtionem: addi poteſt, in his morbis gangrænoſum humorum ſtatum, ceu inflammationis exitum eſſe poſſe, quemadmodum laudatus Vir ſentit, quod in ſynocho putri nequit affirmari, cujus cauſa proxima ab illa veram inflammationem faciente omnimode differt. Inter morbos ab acrimonia ortos adnumerari poſſunt ſcabies, & ſcorbutus: quorum vis qualis, quantaque ſit in corpus humanum, cuilibet nota eſt: affirmari tamen jure, ni fallimur, poteſt, morbos hoſce nullimode æquiparandos eſſe cum ſingulari vi, & pernicie, qua agit in corpora miaſma ſepticum: nulla enim a ſcabie oritur febris; hæc a principio ſeptico vehementiſſima; paul-

dicina Luminum cauſæ occaſionales præceſſere, uti intempeſtiva veſtium mutatio, vel inſolitum frigus, aut hujus, caloriſque, aut ventorum frequentes viciſſitudines; vel abſque harum concurſu ſui evolutionem tentavit cauſa proxima harumce febrium. Si primum, lentor rheumaticus pu-

---

latim fit ſcabiei evolutio abſque functionum alteratione; ſubita e contrario exploſio eſt acris ſeptici, & quam ocyſſime vitales alterat, peſſumdat functiones naturales, & animales; modus tandem, quo venena hæc ſuſcipiuntur, & diverſa curandi methodus, quam expoſtulant, diſcrimen in propatulo ponunt. Ad ſcorbuticum virus ſi attendamus, experientia ipſa edocemur, ab hoc, ſi recens fuerit, glandularum meſenterii lympham inſpiſſari, ſynoviam genuum, ſebum cryptarum cutis in tibiis; ſi vetus, cruorem diſſolvi, huncque nigrum, atramenti inſtar, evadere: & licet corporis, animique defectus ſit, ſenſum, & appetitum ciborum bene ſe habere: at ſepticum virus ſive recenter ſuſceptum, ſive ab aliquo tempore jam latens in corpore, ubi ſuæ ſpontis eſt nulla irretitum contraria cauſa, ſenſus hebetat, proſternit, appetitum delet, liquida omnia, præcipueque ſanguinem ita ſolvit, ut loturæ carnis, non atramenti colorem æmuletur: animæ functionibus, quod ad judicium, & cognitionem, ut inquit Franciſcus Boiſſier de Sauvages *Noſol. method. tom.* 2. *de ſcorb. pag.* 564., quantum officiat, non ſolum hebetudines illorum, quibus imminet ſynochus putris, aut eorum, qui hanc feliciter ſuperarunt, etſi jam multum temporis lapſum fuerit, ſed deliria ad dies, ad hebdomadas protracta, furente, aut jam declinante morbo, ſatis, ſuperque demonſtrant. Quid ſi addamus, lentam admodum eſſe in corpora vim acris ſcorbutici, celerrimam putreſcentis? Hoc intra biduum, & citius adhuc indole venenata humores fundere, eas potiſſimum partes, ex quibus vis vitæ coaleſcit, peſſumdare, & lethalibus

putreſcentis ſocius in cauſa erit; ſecus principium mere ſepticum fons erit, & origo lentoris. Porro quæcumque fuerit evolutionis cauſa, ſana ratio principiis theoreticis innixa, ni fallimur, & auctoritas, teſte rerum magiſtra experientia, evincunt, haud proſperum eſſe poſſe corticis peruviani uſum. Et ſane omnes fatentur uno ore Phyſiologi, ſi quacumque de cauſa acrium particularum ab humoribus ſanis impediatur ſe-

convulſionibus extemplo natis anſam præbere res eſt quotidianis firmata obſervationibus: ex adverſo ſcorbutus lenta ſui præbet indicia, per menſes eundo vires adquirit, per annos torquet, antequam lethalem humorum ſolutionem inducat. Ex ipſa tandem actione, qua in ſingulos, & univerſos nervos agit ſepticum miaſma, dum mole parva maximas, ſingularique modo ſubitas in corpore excitat turbas, manifeſtum videtur. Neque ſit, qui petat a nobis rationem a priori, cur nempe ſola ut plurimum genua virù ſcorbutico jam evoluto tententur, ſoli tendines flexorum tibiæ, non aliarum partium, contracturis laborent, uti ſentit modo laudatus celeberrimus auctor: ſingula e contrario, & omnia corporis puncta nunc obtuſis, nunc acutiſſimis doloribus ex principio ſeptico natis & ante, & poſt febrim, hacque præſente adfligantur: primo enim reſpondebimus, rationem hanc nos æque ignorare, atque illam, cur nempe gingivæ in ſcorbuto putreſcant, immune palato: cur hydrophobum virus fauces præ aliis corporis partibus intentet: cur acre rachiticum articulationes; extrema corporis podagricum: deinde ſi quidpiam fari licet, affirmabimus, præeunte graviſſimo laudato viro de Sauvages, quemadmodum multorum remediorum, ita & acrium principiorum affinitatem quamdam eſſe poſſe cum gravitate ſpecifica partium determinatarum.

paratio, & ſeparatorum libera de corpore expulſio, illam in ſanguine naſci labem, quæ humores ad *ſtaſim* inducit, quæque pro varietate cauſarum cum prædiſponentium, tum occaſionalium variis morbis originem præbet. Inter hos adnumerantur illi, qui rheumatici, & inflammatorii dicuntur: jam vero in his ea notantur conjuncta, quæ non ſolum humorum lentorem evidentem faciunt, ſed vitæ vires ab hoc depreſſas, vaſorumque robur imminutum ſignificant. Porro certum eſt, hanc œconomiæ animalis alterationem eo magis, magiſque peſſumdatam iri, ſi remedia, quæ lentori minime opponuntur, adhibeantur, puta tonica, & ſubadſtringentia: ſub horum namque uſu arctari magis ſolida, denſitatem fluidorum adaugeri ſatis ſuperque teſtantur præfocationes, ubi ad pectus, vel præcordia *metaſtaſim* humor facit; deliria, ſopores, quandoque apoplexia, ſi caput impetat, aut chronicæ arthritides, vel inſuperabilis quandoque iſchias aut poſtica, aut antica, prout corporis peripheriam, aut aliquam tantum partem obſederit. Jam vero quum Chinæ chinæ virtutem tonicam ſubadſtringentem analyſis (§. 1.) comprobet, nemo prudens innocuam hanc affirmabit in ſynochis putribus, quarum cauſa proxima, initio potiſſimum, & incremento, humoris rheumatici, aut phlogiſtici particeps ſæpiſſime obſervatur. Id enim ab effectibus non ſolum, ſed a cauſis, quæ ſæpenumero fomitis putredini obnoxii evolutioni præbent occaſionem, deduci commode poteſt: licet enim mor-

morborum ſemina, e quibus originem trahunt epidemicæ febres, a Vi Univerſi juxta Hippocratem, aut Vi Majori, ſi cum Plinio loqui velimus, pendeant, veneranda tamen antiquitas, hujuſque ævi celeberrimi ſcriptores notant, horumce ſeminum jam ab aliquo tempore in corporibus latitantium exploſionem a perturbato inſenſili cutis halitu determinari: (non neglecta illorum opinione affirmantium, ſi de ſporadicis ſermo fiat, ſufficere ad has in actum ducendas animi pathemata, aut malam vivendi rationem). Re enim vera cur vere, aut autumno, non æſtate, aut ſæviente borea ut plurimum ſcenam ludere incipiunt morbi epidemici, aut frequentiores obſervantur ſporadici? Cur in regionibus ventorum frequentia admodum exagitatis ſæviunt magis, licet hæ puro gaudeant aëre, & ſaluberrimo? Non aliam certe veritati magis conſentaneam cum illuſtribus viris (29) cauſam expoſituri credimus illa, quæ indolem humoribus rheumaticam conciliare ob varias aëris oppoſitas viciſſitudines apta eſt: hæc adventitia liquidorum *diatheſis* ab aëris varietate nata univerſum corpus hebetat gravedine quadam, vaſa præcipue debilitat, & miaſma ſepticum lentis irretitum humoribus eo uſque ſopitum in corporibus detinet, donec opportuno tempore, vere ſcilicet, quo torpidæ naturæ vires a prægreſſa hyeme exſuſcitatæ, quidquid morbificum eſt, in actum deducere

(29) *Epidemia di Firenze l' anno 1767.*

nituntur, vel accedente autumno, quo denuo lentores fiunt ex imminuto inſenſili cutis halitu: *Febres curandi methodus*, inquit celeberrimus Sydenham (30), *non per rationem, ſed per experientiam innoteſcit.* Hæc ſane a longa annorum ſerie, exque principiis a ratione depromptis ſuffulta docet in affectionibus rheumaticis nil magis noxium, deterius nihil adinveniri remediis coërcentibus tonicis, ceu denſitatem humorum in dies magis adaugentibus; inter quæ jure, & merito collocandam eſſe Chinam chinam cum a priori, tum a poſteriori demonſtrari commode poteſt. *Illi*, inquit mox laudatus Medicinæ genius (31), *qui longum, & repetitum corticis Peruviani uſum experti ſunt, rheumatiſmo dicto ſcorbutico obnoxii ſunt: dolores enim hanc, illamve partem obſidentes, fugaces admodum per corporis peripheriam miteſcunt, ab externis ſe proripientes partibus internas impetunt, ita ægrum alternatim divexant, donec fixam nacti ſedem diuturnitati longæ adinſtar mor-*

(30) *De morbis epidem.* Neque ſit, qui tanti viri verba in pravum ſenſum detorquere audeat, ac ſi Empyricæ ſcholæ addictus nihili rationem fecerit in Arte Medica: illam ſiquidem ipſius lateribus perpetuo inſediſſe teſtantur ſolida, & cedro digna, quæ poſteritati reliquit, monumenta. Id in medentium animos inſinuare contendit, non curſim, non ſemel remediorum vim, & opportunitatem experiundam fore, ſed hanc, ut bene detecta firmo ſtare poſſit talo, ad rationis trutinam, & experientiam longa, & conſtanti obſervatione confirmatam vocandam eſſe.

(31) *De rheumatiſmo.*

morborum, qui vel maxime chronici habentur, fomitem præbeant. Mehercle hujuſce mutationis cauſa cuilibet nota erit conſideranti, ex diuturno remedii uſu, ceu coërcentis pharmaci, lentorem rheumaticum eo adauctum iri, ut, impedita vaſorum actione ob multiplices ubique natas liquidorum circulationi reſiſtentias, neceſſario figatur humor, & ſecundarius prodeat morbus aut curatu perquam difficilis, vel quamlibet, quod uſu venit, artem eludens. Nec difficile rationem aſſequemur quartanæ febris in arthritidem mutationis, & in hanc quandoque cum arenulis (32) ex aſſumto cortice, dummodo hujus agendi modum, & indolem humoris quartanam gignentis perpendamus. Quartanarum enim fomitem antiquitas (33) ſtatuit in lenta, glutinoſa, ac fere picea bile, quæ longe difficilius ſubigi poteſt, & expelli, quam bilis flava, cui tertianarum originem tribuit; hinc ea remedia, quæ glutinoſiorem reddere valent proximam febris cauſam, & hujus difficiliorem procurare emendationem, aut convenientem de corpore expulſionem, ceu noxia vitanda ſunt, uti eſt China china: nec alio a fonte repeti debent triſtes effectus, quos edit febrifugum iſtud in podagricis, arthriticis affectionibus, verbo in illis omnibus morbis, quorum cauſa in lentore hu-

(32) *Sydenham, Vanſwiett., Morgagnus, Riverius, aliique.*

(33) *Galenus meth. medend. ad Gaucon. lib. 1. cap. 9. Charter. tom. 10. pag. 352.*

humorum, ac viſciditate poſita eſt; dictorum confirmationem ſuppetit numquam ſatis attenta Bernardini Ramazzini obſervatio de generali uſu Chinæ chinæ (34): longa enim, & non interrupta diligentia confirmavit meritiſſimus auctor, in calidis, & ſiccis anni conſtitutionibus proſperos ſortiri effectus remedium in febribus periodicis, non ita ſi frigida fuerit, & humida anni tempeſtas. Profecto, durante frigida, udaque anni temperie imminui per cutis poros inſenſilem perſpirationem, acribus proinde, tenacibuſque humoribus corpora obrui, verbo lentorem naſci neminem fugit: hinc ſponte fluit, hoc in rerum ſtatu, quæ tonica ſunt, & ſubadſtringentia, uti eſt China china, inopportuna eſſe, ceu remedia, quæ ne dum corrigere valent a naturali ſtatu aliena, ſed ab hoc ea magis deflectere faciunt, quum humorum lentorem in dies magis adaugeant.

§. 7.

INter ſymptomata ſynochos putres comitantia urinæ notatæ ſunt (§. 5.) turbidæ, ut plurimum tenues, & paucæ, ſitis inexplebilis, totius corporis gravedo, modo acuti, modo obtuſi capitis dolores, & notabilis per totum corporis habitum ſenſatio dolorem faciens: conjuncta ergo hæc, vel a principio rheumatico, phlogiſtico derivanda erunt, vel ab humore corruptioni obnoxio: ſi primum, jam ſatis colligi

(34) *Tom. I. pag. 163.*

ligi poſſe videtur ex ſuperioribus, utrum rationalis, utilis eſſe queat uſus febrifugi, ſi alterum, ecquis Hippocraticæ medicinæ præceptis vel leviter imbutus hoc commendabit? Et ſane perquam evidens eſt ex hiſce conjunctis, tum ex facie prætumida, ac livido colore picta, ex manuum torpore, ac tremore, ex moleſtiſſima tuſſi, calore acerrimo, difficili reſpiratione, lentor acrimoniæ junctus, ex quo viribus naturæ obrutis, motus circulatim imminuitur, inteſtinus augetur, hincque ubique natæ ex ſucceſſiva acrium principiorum evolutione irritationes ad *ſtaſim* liquida diſponunt: Jam vero ad ea confugere, quæ & lentiorem humorum circuitum motus figendo, & languidiorem vaſorum oſcillationem reddunt, prudentis ne Medici erit, & rationalis? Certum, exploratumque eſt apud omnes practicos, ſi lentore peccant humores, ſolidæque partes, præcipue vaſa, rigiditate, ac irritabilitate nimia, iis pugnandum fore remediis, quæ & illis debitum fluorem, his opportunam laxitatem, motuſque pacatos conciliare valeant: his enim dum fit ſatis indicationibus, motus inteſtinus quodammodo compeſcitur, & nimius, qui ab hoc pendet, æſtus moderatur: hinc unanimi conſenſu a ſanioribus laudantur, habita, uti decet, ætatis, ſexus, temperamenti, & idioſyncraſiæ ratione, prudentes ſanguinis miſſiones, blanda attenuantia, & temperantia, tum ea, quæ ſpeciatim liquidorum acredinem demulceant, ne, hac in die magis adaucta, ulterior fiat humorum ab indole naturali receſſus,

receſſus, ex quo non infrequenter, fatiſcentibus naturæ viribus, naſcuntur lethales *metaſtaſes* vel ad caput, vel pectus, vel abdominis cavum. His porro dotibus haud præditam eſſe Chinam chinam, patet ex iis, quibus conſtat, principiis tonicis, & ſubadſtringentibus: utrum hæc in lentore humorum, in vaſorum rigiditate, ac tenſione, ubi materies corpus obruit, conveniant, æquis rerum æſtimatoribus dijudicandum relinquimus; ſufficiat notare febres illas periodicas, quæ licet legitimæ fuerint, in continuas tamen abire indebito, & nimis protracto uſu Chinæ chinæ tractatas, quotieſcumque cacochymiæ in primis viis, aut in univerſo corpore ſigna ſe ſe offerunt, aut veræ, vel apparentis plethoræ: niſi enim corpus, uti decet, per convenientiorem locum a nimia materia primum liberetur, & quæ per ſanguineas oberrant vias a naturali ſtatu aliena, opportunis remediis vel corrigantur, vel ad debitas ſecretiones, excretioneſque diſponantur, frequens obſervatio docet, non ſolum has febres minime fugari a coërcente pharmaco, ſed, altius impacta in viſceribus materia morbifica, obſtructiones naſci, hecticam, aſthma, anaſarcam, alioſque varios pro varia, quam occupaverit, corporis parte morbos ſecundarios curatu per quam difficiles. Ergo ſi momenta ſunt, quæ Chinæ chinæ uſum proſcribunt a corporibus cacochymis, licet periodica febre laborantibus, quanto potiora ea fatebimur in ſynochis putribus, ſive genius febris conſideretur, ſive perpen-

perpendamus quantitatem, qualitatemque proximæ hujus febris cauſæ.

§. 8.

ETiamſi vero hæc ita ſe habere nobis videantur, ſunt tamen qui regerunt, Chinam chinam ſaltem admitti debere, poſteaquam redundans primarum viarum materies evacuata fuerit, & debitæ ſanguinis miſſiones, nec non diluentia, & temperantia lentorem humorum, perturbatumque magna ex parte circuitum emendaverint; inquiunt enim, neceſſum eſſe iis remediis (ut rationalis dici poſſit curandi methodus), quæ non ſolum naturam adjuvent in extranei emendatione, aut eductione, ſed vires vitæ validas, quoad fieri poſſit, ſervent, quum ea ſit harumce febrium indoles, ut ægros conjiciant in debilitatem non raro periculi plenam: quam ob rem pro China china, ceu roborante, & prophylactico remedio acerrime pugnant in incremento, ſtatu, & declinatione febris. Noſtri igitur intereſt hæc tempora percurrere, tum perpendere, utrum horum alterutri, ratione duce, competat remedium. Ad incrementum quod attinet, affirmari poſſe videtur, nullimode convenire. Lex enim eſt ab omnibus recepta, eo tendere debere omnem curantis operam, ut quod ſtimulo, vel coagulo febrim producit, ac ſuſtinet, per febrim ipſam ſic mutetur, ut minus noceat, & aptum evadat, ut debito tempore expelli poſſit: coctio nempe, ſive ut ſaniores volunt, maturatio obtineatur: quæ,

quæ, ut fiat, optimorum Medicorum conſenſus, & obſervatio quotidiana docent, febrim, ceu maturationis cauſam, juſto retinendam eſſe moderamine, ne nimio hujus impetu tenerrima vaſorum ſtamina deſtruantur, vel denſo infarciantur liquido veræ, aut nothæ inflammationis pediſſequæ cauſa frequentiſſima, aut nimium, & intempeſtive refractis motubus febrilibus, torpeat vaſorum actio, atque ita ſubactio materiæ morboſæ vel nulla, vel imperfecta contingat, ſuccedentibus varii generis morbis ſecundariis. Porro in incremento febris cruditatis, ut inquiunt, ſigna manifeſtiſſima ſunt, nullaque fibrarum mollities ad pepaſmum requiſita appareret, & ex conjunctorum majori ſævitie nullam adhuc alterantium ope obtentam eſſe humorum, ſi cum Dureto (35) loquamur, *mitificationem*, aut cum Gorræo (36), *maturationem* conjicere quiſque poteſt. Si igitur ad perfectam morbi judicationem ſubactio requiritur cauſæ morbum facientis, certum eſt, hanc nullimode obtineri poſſe, quin primum Natura concitatiori motu debitis circumſcripto limitibus in orbem abripiat, quod in viſceribus impactum, aut irretitum in vaſis circuitum perturbat: nempe incrementum febris faciat, ut dein in ſtatu, quam inchoavit, concoctionem perficiat.

§. 9.

(35) *In coac. Hipp. pag.* 9.
(36) *In definit. medic. pag.* 509.

§. 9.

JUre ne igitur, an immerito illi culpandi erunt, qui tonico, & motus febriles supprimente remedio, uti est China china, utuntur in febris incremento? Sane habita, uti par est, lentoris, & corruptionis ratione, prorsus excludendum esse remedium videtur: nocebit enim, ut remedium corroborans; ex hoc enim crescere vasorum firmitatem, liquidi per vasa moti augeri impetum, febrem increscere, perque febrim adauctam, quod liquidissimum est, exprimi, & lentos addi lentis humoribus physiologia docet: præterea rationi consonum est, & quotidianis constat observationibus, eo majorem evehi humorum acredinem, quo major erit liquidi defectus: hac igitur in febre id per corticem peruvianum obtinebitur, ut in dies malignius evadat acre septicum, & hoc cum lentore conjunctum humores ad illam universalem *stasim* disponat, ex qua brevissimo temporis spatio lethalia erysipelata nascuntur, modo encephali membranas occupantia (37), vel pulmones, vel intestina, uti probant cadaverum observationes: vel prævalente, quod sæpissime contingit, putrescente virù a vi remedii diutius, quam par est, coërcito, lethales hæmorrhagiæ succedant, aut varii generis exanthemata. Se prudentiores gerere hoc febris tempore fatendum est illos, qui diluentibus, blande at-

(37) *Gerard. Van-swiett. tom. 2. de morb. intern., & de febr. in genere §. 593. pag. 78.*

attenuantibus, & ſubacidis debitum humoribus fluorem, & temperiem, ſolidis requiſitam mollitiem conciliare tentant, non omiſſis clyſteribus pro rei opportunitate copiæ, ſi qua ſupereſt, humorum minuendæ peridoneis. Graviſſimus enim eſt multorum error, qui methodo calefaciente, aut indebitis initio morbi, & iteratis purgantibus curam adgrediuntur. Etenim præter tenuiorem, quam vi exprimunt, liquidorum partem, irritationes ex genio morbi jam multas augent, unde ſubiti, & funeſti eventus originem ducunt, puta convulſiones, enormis imi ventris tympanica elatio, aut inteſtinorum, pulmonum, vel aliorum viſcerum gangræna, quam jam notavit ſuis temporibus immortalis Sydenham (38).

§. 10.

QUæ hactenus expoſuimus, natura morbi, conjunctorum, remediique virtute probe conſideratis, hoc tamquam indebitum, quin immo noxium ſuadere videntur cum principio ſynochorum putrium, tum incremento. An ergo conveniens erit in ſtatu, & declinatione? Quemadmodum in omnibus morbis, ita & in hac febre locum habere axioma practicum nemo ibit inficias, ſanitatem videlicet haud redire poſſe, niſi vel materialis cauſa per febrim ipſam penitus, & ita immutetur, ut vel ſanis humoribus aſſimi-

(38) *Sect.* 6. *cap.* 6. *pag.* 353.
(39) *Gerard. Van-ſwietten lib. citat.*

milata (39) abſque ullo æquabilis circulationis impedimento per vaſa moveri poſſit, aut vi febris perfecte ſubacta apta reddatur, ut e corpore eliminetur. Secundo loco notandum, æque certum eſſe, & ab univerſa medentium ſchola, nec non obſervatione, & experientia probatum præceptum medicum, in incremento incœptam morboſi fomitis ſubactionem perfici in ſtatu. Hiſce conſtitutis, quæ a nemine in dubium vocari poſſunt, concludamus oportet, momenta, quæ ſuperius adduximus adverſus febrifugum in incremento febris, eo potiora eſſe in ſtatu. Re enim vera, ſi nunquam interturbari debent ſalutares Naturæ motus juxta prudentiæ regulas, hoc potiſſimum tempore cavendum erit, quo tota in ſubactionem materiæ morbificæ intenta eſt. Sibi namque eſt relinquenda, aut ſi parumper deficiat, iis auxiliis erit ſublevanda, quorum ope victrix tandem, quidquid heterogeneum eſt, expellere poſſit: hinc captu non erit difficilis illorum culpa, qui ſalutarium naturæ conaminum prorſus ignari perturbationes criticas in ſtatu exortas pro novo morbi inſultu habentes remedia inconſiderate præſcribunt: fit enim, ut a recto itinere natura ſemel devia difficile in ipſum ſe ſe remittere queat: ſive namque vitæ vires debilitatæ fuerint remediis evacuantibus, vel nimis auctæ cardiacis, a cauſa morbifica utplurimum ſuperantur, quum ea ſit corporis noſtri conditio, ut ſecretiones, excretioneſque cum utilitate ſuccedant, ubi nec nimis concitatus, neque nimis

de-

depreſſus eſt humorum circuitus. Jam vero non ea pollere vi, & efficacia Chinam chinam, qua humores a ſanitatis legibus receſſos ſanis aſſimilet, aut extrudat e corpore, ſed ea tantum, ut febriles motus ſufflaminet, plura ſunt argumenta. Obſervantur quotannis autumnales tertianæ febres (præcipue vero quum Epidemico quaſi more graſſantur), quæ ſi China china tententur, non prius excuſſa materie febrili circa præcordia ſæpius hærente, interdum ceſſant quidem ad tempus, at non raro redeunt vehementiores: quandoque nullimode vincuntur, quin immo has excipit icterus, cujus ſolutio, de celeberrimorum virorum ſententia (40), ad Februarium menſem, ſi procraſtinationem tulerint naturæ vires, protrahitur, qua tempeſtate redeuns tertiana materialem cauſam per conferentes vias evacuat. Id, ni fallimur, ex hoc pendere videtur, quod non alterante, eo minus evacuante vi egerit pharmacum, ſed coërcente, perinde noxia, ceu febriles motus concoquendæ cauſæ proximæ, & eliminandæ neceſſarios ſuffocante. Præterea ſive a bile diverſo gradu vitiata gignantur febres tertianæ, quartanæ, uti ſentit Galenus, ſive ab alia juxta alios cauſa, non inveriſimilis illorum (41) opinio videtur, qui præter cauſam prædiſponentem, excitantem, ut dicunt, ſeu conjunctam ma-

(40) *Sydenham, Verlophf, Boerraahav., Van-ſwiett., aliique.*

(41) *Herman. Boerraahvv., ejuſq. clariſ. Comment. Van-ſwietten.*

materialem cauſam reponunt in ſubtiliſſimo fluido vaſis minimis, vel encephalo contento.

§. 11.

Miſſis igitur ingenioſis hypotheſibus, liceat in dictorum confirmationem adducere, quæ a caſto ratiocinio, fidelibuſque obſervatis deduci poſſe videntur. Certum, exploratumque eſt, ſuppreſſas iri interdum febres intermittentes, exhibito, uti decet, cortice peruviano, quin harum cauſa materialis emendationem ſubierit, aut evacuationem: id a longe ſequentes, aut illico, ſuppreſſa febre, natæ fluidarum, ſolidarumque partium notabiles alterationes palam faciunt. Ecquid aliud ſignificant varii generis cachexiæ? Quid obſtructiones? verbo multiplices chronici morbi? compertum etiam eſt, ſine ulla ſenſili evacuatione tolli febrem abſque recidivi in hanc lapſus metu (42), ſi diuturnus fuerit remedii uſus, doctaque manu miniſtratus; quandoque has per tempus ſuſpendi, & quidem notabile, redire tamen, etſi per alvum, & urinam, vel gravem de corpore ægrotantis halitum, ceu ſenſiles, ac neceſſarias, de Hippoliti Franciſci Albertini mente (43), evacuationes diſcuſſus fuerit morboſus humor. Porro quum idem perinde fore conſtet quotidiano uſu, iteratis nempe in febrem lapſibus ampliſſimum patere campum, ſive ſenſibiles, ſive nullæ extiterint

(42) *Van-ſwiett. de febrib. intermit. tom. 2. pag. 567.*
(43) *Inſtit. Bonon. pag. 165., & 405.*

rint evacuationes, legitime concludi poſſe videtur a Medico rationali, haud eſſe tutum, & rectis medendi legibus conſentaneum remedium iſtud in hac, de qua agitur, febre, quæ nedum a ſubtiliſſimi fluidi nervoſi alteratione pendet, ſed a copia humorum tanta, & ita a ſanitatis conditionibus aliena, ut, niſi tuto evacuetur, aut œconomiæ apta reddatur, triſtiſſimos edat effectus. Ultro, libenterque concedimus, experientia teſte, & ducibus illuſtribus viris (44), eximiam eſſe Chinæ chinæ vim in roborando ſiſtemate nervoſo, ſedandiſque mobiliſſimis nervoſi ſucci motubus, aut validiſſimis ſpaſmis: conſequenter non negabimus caute, prudenterque præſcriptam tutum eſſe remedium in febribus intermittentibus; at faciles eſſe non poſſumus, ubi de febre continua agitur, deque notabili humorum alteratione: hinc fortaſſe clarior erit ratio, cur exhibitus, ad optimum perducta finem ſynocho putri, aut *petechiſante*, vel alia male morata, in quibus nervorum *ataxia* frequentiſſime obſervatur, cortex peruvianus mire proficiat, ceu roborans, & ſedans remedium: evidens quoque erit, cur exhibitus cortex pro fuganda legitima febre periodica, ne dum inutilis ſit, quoties epidemicus morbus dominatur, at certe ut plurimum noxius: ſi vel paulliſper attendere nos non pigeat ad præceptum illud a longa, & ſolida obſervationum ſerie firmatum, quo edocemur, cum intercurren-

(44) *Sidenham diſſert. epiſt. p.519., Van-ſwiet. tom.2.p.534.*

rentibus morbis ita agendum esse, ut attenta semper habeatur ratio morbi epidemici: frequentissima namque res est, observare febres, quæ, licet natura sua ad periodicas referri possint, in continuas tamen degenerant, genio ceteris continuis maligniore, sæviore impetu, & inevitabili ut plurimum, quod magis dolendum, interitu, si vigente morbo epidemico, incauto febrifugi usu tractatæ fuerint. Adeo liquet, Chinam chinam, licet eximium, & fere unicum remedium sit in febribus re ipsa intermittentibus, aut in illis, quæ etsi duplicatis, & productis circuitibus, aut multiplicatis continuas mentiuntur, omnes tamen sensilem remissionem habent, & exacerbationem, attentis pulsu potissimum, urinis, calore, uti sentit numquam satis laudatus immortalis Sydenham (45), in continuis tamen, inque iis, quæ de sententia Celsi (46) *accessiones adeo confusas habent, ut notari neque tempora earum, neque spatia possint*, male cessurum esse. *Innocuum remedium esse ex sua indole corticem peruvianum* testatur Gerardus Van-swietten (47), *quod satis tuto corpori humano applicari potest, at simul etiam affirmare licet* (notentur hæc verba), *corticem peruvianum tollere febrim solam, &, sublata febre, manere illas mutationes fluidarum, & solidarum partium corporis, quæ vel ante febrim præexstiterant, nondum sublatæ per febrim,*

(45) *Epistul.* 1. *respons. pag.* 383.
(46) *Lib.* 3. *cap.* 4.
(47) *De febrib. intermitt.* §. 767. *pag.* 566.

vel febris tempore, aut per febrim ipſam productæ fuerant: ubi ergo febris inſervire poterat, quod toties fit, ut felicius, & citius tollerentur, vel emendarentur illa, quæ in ſolidis, aut fluidis degeneraverant a ſanitatis legibus, corticis peruviani uſus nocet: & ſane ab ejus uſu nullam inſignem in corpore mutationem induci patet ex purgantibus, vel ex leviſſimis enematibus, quæ incaute adminiſtrata, febre Chinæ chinæ uſu fugata, in febris relapſus diſcrimen certiſſime ægros conjiciunt (48).

§. 12.

PORro ſi, quæ a ratione deprompſimus, minus adhuc firma quibuſdam videbuntur, ſectiones cadaverum uberiorem poſſe affundere lucem opinamur. In omnibus ferme hac febre denatis clandeſtinæ paſſim notantur inflammationes, etiamſi vix, ac ne vix quidem hujus ſigna præceſſerint. Totus inteſtinorum tractus, fere omnia abdominis viſcera, hepar, lien, ventriculus, lata, & rotunda ligamenta ſtagnante ſanguine, & corrupto turgida inveniuntur, tum pulmones, & variæ pectoris membranæ ſphacelo, aut gangræna conſumptæ. Neque minor ſanguinis *ſtaſis* meninges occupat, & vaſa cerebri: atro colore picta in quamplurimis univerſa cutis eſt: quamvis vero clandeſtinas inflammationes dixerimus, nemo credat, has a nobis pro veris ſumi inflammationibus: facilem potius aſſenſum præſtamus viris (49) opi-

(48) *Van-ſwieet. loc. mox citato.*
(49) *Ludwig. adv. med. pract. vol. 1. p. 178., Waltherus, aliiq.*

opinantibus, venas magis, quam arterias sanguine infarctas esse, proptereaque *stasim* hanc ad veram inflammationem redigendam minime fore. Hæc venosi sanguinis *stasis*, quæ a celeri, & debili pulsu, spasmis vagis per universum corpus, hujus torpore, & gravedine, aliisque enarratis (§. 5. & 7.) symptomatibus designatur, cum ab humorum lentore, & acredine, tum a debilitata vi solidorum nasci legitime deduci potest: quum enim præcipuum reflui sanguinis momentum in venis, potissimum in portarum vena pendeat ab ultimæ arteriæ impulsu, hoc deficiente, aut ob spasticam contractionem admodum præpedito, subsideat in venis sanguis oportet. Anne igitur, quæ viribus vitæ sustinendis idonea sunt, quæque lentescentem per vasa sanguinem accelerare possunt, nullumque debitæ opportuno tempore corrupti miasmatis eliminationi obicem ponunt, convenientiora dicenda erunt remedio motus naturæ salutares propria vi præpediente, nulloque modo procurandis criticis evacuationibus idoneo? Quæ passim a sanioribus practicis commendata leguntur pro rationali harumce febrium cura, hucusque tradita confirmare videntur: ea nempe suadent remedia, quæ & febris impetum debitis, quantum Clinicis datum est, limitibus contineant, acerrimum calorem temperent, acria obtundant, humidamque cutim, per cujus vias non mediocris obtinetur morbosæ causæ insensilis exhalatio, servent; tum ea, quæ si non maturant, quod non expedit, saltem non retardent futu-

ras, ac neceſſarias per loca convenientia *lyſes*, aut criticas evacuationes: quam ob rem, remediis, ut inquiunt, præmiſſis univerſalibus ſumma cum religione adhibitis, inter alterantia non infimum tenere locum, immo præcipuum volunt ſubacida, diluentia, nitroſa, quandoque acida mineralia (etſi poſtremorum ſumma habenda ſit cautio, ob cardialgias, & nervorum *ataxias*, quas ab horum uſu Clinici notarunt), procul ſepoſitis calefacientibus, & ſubadſtringentibus, quorum cenſui, ut infra videbimus, Chinam chinam adſcribere nulli dubitant. Neque horum ſententiæ refragatur experientia. Ægroti enim, qui ob fugandas febres intermittentes China china utuntur, ſiti urgentur inſolita, moleſto quodam, ut ipſi referunt, intrinſeco, & ad tactum quoque ſenſibili calore vexantur, quodque præcipuum eſt, alvum habent adſtrictam: cui tollendæ, ſi, ut ſuperius diximus, ex incauti Medici calamo purgans exciderit, alvo ſolutæ febris adjungitur.

§. 13.

EX hiſce igitur, quæ neminem fugiunt, conſequitur, quod fluidius in humoribus eſt, diſſipari, ad lentorem diſponi humores, brevique ſuccedere poſſe clandeſtinas, de quibus alias dictum eſt, inflammationes: exque evecta neceſſario humorum acredine ſolidorum naſci ſpaſticas contractiones, nervorumque variis, diſſimilibuſque formis præditas irritationes. Non infrequens præterea eſt Clinicorum obſervatio, quæ

quæ docet, febres intermittentes in continuas abire, ſi longior, quam par eſt, febrifugi uſus protrahatur, quemadmodum & obſervationibus conſtat (50) febres intermittentes methodo calefaciente tractatas continuas fieri, aut in ſcorbutum degenerare (51): primam mutationem repetendam eſſe volunt ex humorum copia ob vim remedii ſubadſtringentem ſenſim accumulata, ab adaucta acredine alteram. At ſi quiſpiam fortaſſe reponat, Chinam chinam, ceu roborans, & efficax remedium ſpecifice valere adverſus cauſam proximam febrium intermittentium, neque tantum hanc emendare, ſed ſedandis nervorum irritationibus inter numeroſa remedia excellere, huic 1. cum Van-ſwietten (52) reſpondebimus, inter arcana adhuc dum latere vim, qua China china agit adverſus febres intermittentes, quum & ab aliis tonicis non minori vi pollentibus idem effectus haud præſtari poſſit; 2. hyſtericam paſſionem, morbum hypochondriacum, arthritides vagas evaneſcere, ſuperveniente febre periodica: hac febrifugo ſuſpenſa, morbos hos recrudeſcere: ad rem perbelle facit obſervatio Danielis Grugeri (53) epilepſiæ, aliquo tempore ſilentis renatæ ab exhibito cortice ad quartanam fugandam. Qua de re ſi in quacumque febre, etſi legitima periodica, quoties heterogeneus humor genio diſſimilis latet

(50) *Van-ſwiett. tom. 2. de febr. intermit.* §. 752.
(51) *Van-ſwiet. loc. citat.*
(52) *De febrib. intermitt. ..... Sydenham loc. citat.*
(53) *Haller in collect. pract.*

in corpore, cujus malitia vinci nequaquam poteſt China china, remedium peſſime cedit, aliiſque deterioris notæ morbis ampliſſimam ſternit viam, tutum ne erit in ſynochis putribus, in quibus, ſive harum initium ſpectemus, ſive incrementum, vel ſtatum, tanta eſt cum in primis viis, tum in ſanguineo latice humoris peccantis copia, & ea prædiți qualitate, ut univerſum corpus obruat, vireſque proſternat?

§. 14.

AT, hæc dum ſcribo, nemo credat me illum eſſe, qui ſaluberrimum pharmacum divinitus datum (atque utinam hujuſce generis multa placuiſſet Supremo rerum Moderatori nobis largiri) odio habeam, & ſemper ipſum proſcribere tentem a ſynochorum putrium medicatione: is non parum errabit, quum tanti remedii utilitatem, & præſtantiam centies expertus ſim. In id totus allaboro, ut debitum offerendi tempus ſeligatur, & nimia multorum præpopera, & inconſulta præſcriptio coërceatur: quum enim febris ad illum pervenerit diem, quo ſatis certa expurgationis ſigna ſe ſe offerunt, prægreſſis videlicet, aut ſenſim factis, aut criticis evacuationibus, neque ulla in præcipuis cavis ſupererit morbi labes, inque ſolo virium defectu ægrotantis res erit, præſentaneum remedium fore affirmamus auctoritate freti (*). Apertis verbis

hoc

(*) *Sydenham, Frider, Hoffmannus, Ballonius, Torti,*

hoc monitum tradit celeberrimus Huxham (54), licet plurimi faciat hoc antipyreticum: inquit enim

Ita nos geſſimus in acuto morbo *noſocomiali*, quem paſſus eſt anno 1774. clariſſimus FRANCISCUS CIGNA in Regio Lyceo Anatomes Profeſſor, & in Phyſicis, ac Mathematicis rebus verſatiſſimus, tunc temporis Noſocomii Medicus Aſſiſtens, cujus contubernium per ſeptennium, & ultra plurimi fecimus. Spectatiſſimus Vir vehementiſſima ſynocho corripitur: hæc, licet debitæ, ac prudentes inſtitutæ extemplo fuerint ſanguinis miſſiones, ſordeſque in primis viis turgeſcentes ſubducentibus auxiliis expurgatæ, in ſtatu tamen ſævit quammaxime, & enormis imi ventris elatio tympanica, gravis, & ſuſpirioſa reſpiratio, nec non ſympathicus ſopor rem periculi plenam portendunt. Mehercle febris tertianæ, quam multis antea menſibus paſſus fuerat, & horrorum identidem in hoc morbo acuto redeuntium, conſideratio uſum corticis quodammodo ſuadere videbantur, uti ſentiebant clariſſimi in arte Viri; at memorata conjuncta, morbique genius ab hoc nos removerunt: ſatius putavimus oppreſſas naturæ vires epiſpaſticis occipiti, & coxis applicitis erigere, tum ſaponaceis, & diluentibus remediis humorum conſtitutionem emendare, ut dein, ſubducentium ope, quod morbo fomitem præbebat, convenienter alliceretur: hac medendi norma, factum eſt, ut die morbi duodecima coctionis ſigna in urinis apparuerint, nec non ex arida mollis evaſerit cutis, atque ſequenti die criticæ ſucceſſerint evacuationes alvinæ, & ea cum utilitate, ut decimaſeptima morbus perfecte judicatus ſit. Ingens ſupererat ægro virium debilitas, nobiſque timor, ne, ut uſuvenit, in febrem periodicam, exantlato acuto morbo relaberetur: his ut obviam iremus, juſſus eſt cortex peruvianus proſpero eventu: vires namque in priſtinum reſtitutæ ſunt, & menſis curriculo perfectam valetudinem recuperaverit eximius Vir in artis ſaluberrimæ, & Scientiarum augmentum natus.

(54) *Traité des Fiévres pag.* 31.

enim cavendum esse ab ejus exhibitione, si pallida fuerit ægrotantis facies cum abdominis tensione, alvique siccitate: aperientia, saponacea Chinæ chinæ anteponenda esse affirmat: secus enim aut phlogistica humorum *diathesis*, aut febris lenta nervosa succedent. Neque ignoramus quorumdam objectionem affirmantium, laudatum virum alio in loco summis extulisse laudibus Chinam chinam in febribus petechialibus: id verum esse respondemus, immo si lubet, addere possunt præclarissimum Mead hujus quoque sententiæ patronum: at contra nos id nihil facere patebit considerantibus, eximios hos viros, primum nempe de febribus petechialibus, de variolis alterum verba facientes, illam adhibuisse pro sedandis hæmorrhagiis, non alterantis remedii scopo: rem evidentiorem faciunt acida, & alexiteria adstringentia, cum quibus sociatam Chinam chinam exhibebant. Immortalem Torti acerrimum Chinæ chinæ propugnatorem audiamus inquientem: *Nonnisi* (55) *cum distinctione procedendum est in oblatione corticis peruviani in uno casu proficua, in altero frustranea forsan evasura: prout scilicet fermentum peccans, vel est præcipue insitum sanguini, & febrem natura sua continuam gignit, vel ab extrinseco accedit eidem sanguini, & febrem natura sua producit intermittentem.* Et sane discriminis plurimum esse inter essentiales febres petechiales, vel, ut penes multos audiunt, malignas, sub-

(55) *In respons. Iatro-apolog. contra Ramaz. pag.* 107.

ſubdolas, & ſynochos putres, improprio putridarum nomine paſſim inſignitas, quemlibet vel leviter attendentem non fugiet. In illis enim paucus eſt morboſus humor, at tanta peccat indole acri, ut ſanguinem, ceteroſque corporis humores rapidiſſime ſolvat, inque ſummam debilitatem periculi plenam ſolida conjiciat. Hoc in rerum ſtatu nihil conducibilius, magiſque efficax eſſe poterit remediis, quæ tantam œconomiæ alterationem corrigere poſſint propria vi ſtyptica, ne virus ſibi relictum nervos impetat, cauſtico veluti modo, quo feriet viſcera, emortùua reddat, exſuccet, conſumat. Ex adverſo in ſynochis putribus cauſa proxima, præ qualitate non adeo maligna, quantitate peccat lentori juncta, corpuſque adeo gravat, ut, ni diluentibus, blande attenuantibus, & aperientibus ad convenientem exitum diſponatur, in viſcera *metaſtaſes* faciat, in dieſque vires capiundo chronicorum morborum, quandoque mortis, cauſa ſit.

§. 15.

HInc aſſequi mihi videor, cur in febribus eſſentia petechialibus laudati viri uſum Chinæ chinæ prædicaverint, hunc a febribus putribus proſcripſerint. Neque hic objectionum finis. Si febris genius, inquiunt, prima fronte apparens proprius eſt febrium intermittentium, iſque reditu multarum acceſſionum confirmatur, licet in ſynochum putrem mutetur, fomes tamen ſemper idem erit, proptereaque, nulla diverſæ periodi ratione habita, febrifugo vincendæ primæ

febri

febri apto inhærendum erit; eo vel magis ſi ea fuerit anni tempeſtas, qua dominari ſolent febres intermittentes. Talem ratiocinandi modum illis relinquimus, qui cæco animo, præjudicata opinione morbos, horumque mutationes conſiderant, poſthabita diligenti, accurata, ac tantopere neceſſaria omnium, & ſingulorum obſervatione. Tunc eſt agendum, quando præſens eſt indicans: ſi igitur febris genio intermittens legitima faciem mutat, abitque in continuam, licet febrifugum ægro exhibueris, idem ne erit ſequendum? Nemini novum eſt obſervari quandoque febres, quas veras eſſe intermittentes ex circuitu ipſarum, ex aggreſſionis, & procedendi modo, nec non ex conjunctis non unus affirmabit: re tamen non tales eſſe probat adhibitus cortex: ab hoc ſiquidem propinato continuæ extemplo fiunt, reſque eſt certiſſima, in grave adduci vitæ periculum ægrotantes, ni prudens Medicus remedio ſuperſedeat. A quonam fonte diverſus ejuſdem remedii exitus, niſi a diverſa febrium cauſa? In menſes, in annos latere poſſe in corporibus morborum ſemina, horumque evolutionem tamdiu arceri, donec evidens cauſa accedat, teſtis eſt experientia. Nil vetat, quominus, ſi de febribus autumnalibus ſermo ſit, humores noſtri, præcipue bilis, ab æſtate prægreſſa non parum mutati in ſui evolutionem determinentur, adventante febre periodica: aut accedente vere, ſi quidpiam rheumatici ſanguini inſit hyemali tempore accumulati, extricetur a febre intermittente: hiſce probe

probe animadverſis, intelligimus, quanti facienda ſit illorum Medicorum cautio, qua prohibent in vernalibus febribus intermittentibus nimis maturam corticis præſcriptionem, uti & in autumnalibus; niſi prius corpora rite expurgata fuerint.

§. 16.

QUæ a ratione hucuſque deprompſimus, ſatis perſpicua eo confidentius opinamur, quum clariſſimorum virorum ſuffragium minime deſideretur. Et primos adducere liceat Medicos eruditione, & artis peritia excellentiſſimos, qui epidemicam febrem per varios Florentiæ tractus vagantem anno 1767., & ſequenti (56) graphice deſcripſerunt: ab his intelligemus, præcipuum epidemicæ ſynochi putris curandæ ſcopum totum ſe poſuiſſe in minuenda materiei morboſæ quantitate, eadem corrigenda, promovenda concoctione, & ſeparatione abſorbentium ope, attemperantium, diluentium, aliorumque hujuſce generis, ne verbum quidem facientes de China china, ceu remedio non tantum inutili, ſed prorſus noxio: id enim ex iis, quas poſtmodum tradunt, exceptionibus tutius apparet, quum radicem ſerpentariam, aut caſcarillæ corticem, aut Chinam chinam vel in ſubſtantia, vel extracto, aut decoctione illis miniſtrent, in quibus creſcente ſirio, febres continuæ acutæ ad remittentium indolem evidentiore modo vergerent, geniumque aſſu-

(56) *Relazione delle febbri ec. l' anno 1767.*

assumerent tertianarum; etiamsi omnibus his, aliisque cardiacis, & antisepticis tutius, vel efficacius vinum fuisse pleno ore fateantur. Archibaldus Pitcarnius (57) post traditam febris definitionem, & conjunctorum theoriam, licet Chinam chinam, ceu remedium aperiens habeat, totusque sit in hac contra febres exhibenda, hanc tamen suis circumscribit limitibus, affirmans, in illis tantum convenire, in quibus remissio sit insignis, quamvis non dici possint veræ intermittentes.

§. 17.

MIrum est, quam caute, quantaque animi sedulitate incedendum sit in morborum curatione. Mentem subit graphica, ac pene divina dissertatio doctissimi Baglivi (58): ab hac quisque facile intelliget, mutationes morborum aut per *metastases*, aut per *epigenesim* natas periculo magis plenas esse, omnesque morbos, *qui aliorum successione veniunt*, sunt verba Auctoris, *per propagationem*, *aut per translationem*, *esse prioribus molestiores*. Inter nimium multos, quibus opem tuli ægrotantes synocho putri laborantes, id expertus sum, sancteque possum affirmare, omnes, in quibus tertiana simplex, vel duæ, tresve tertianæ in continuam, exhibito cortice, abiere, aut periisse, aut summa cum difficultate a morbo convaluisse. Fere

semper

(57) *Lib. 2. cap. 1. §. 54.*
(58) *De morbor. successionibus.*

ſemper conſtitit, ex mutato febris charactere *metaſtaſes* extemplo naſci periculoſiſſimas modo ad caput, ſoporoſos affectus, delirium inducentes, modo ad pectus, ſtertorem ſuſcitantes cum manifeſto ſuffocationis periculo, modo enormes, ſi abdomen obſediſſent, *meteoriſmos* facientes cum gravi fere omnium viſcerum, præcipue inteſtinorum inflammationis metu. *In nullo*, inquit laudatus Auctor (59), *morborum genere tanta opus eſt patientia, expectatione, cunctationeque ad bene, ac feliciter medendum, quanta ad bene curandas febres meſentericas, ... quod ſi imperitia tua, ægroti, adſtantium, ob diuturnitatem morbi ad uſum damnabilem Chinæ chinæ, vel teſtaceorum deveneris, non bene prius repurgato meſenterio, ex febre levi efficies gravem, continuam, longam, ad hecticam tendentem, difficile curabilem .... In his febribus non tantum reſpiciendum eſt ad ſuas periodos, & ad vehementiam febris, quantum ad cauſam febris, ſive ad meſenterii apparatum.* Diſcant ex aureo hoc monito Chinæ chinæ fautores, quanta opus ſit prudentia, & quas requirat circumſpectiones febrifugum in illis morbis, qui ab impura foventur, & immodica materie in primis viis: neque his, puto, difficile erit arguere, haud minores requiri, ubi de impuris humoribus univerſam ſanguinis viam inficientibus agendum eſt.

§. 18.

(59) *De feb. malign., & meſenteric.*

§. 18.

Fateamur oportet, inquit immortalis Gulielmus Ballonius (60), *mutationes morborum a vi quadam maligna, quæ ſubitam mutationem morbi declarat, morbique in alium facit tranſitum, pendere.* Si igitur in dubium vocari nequit periodicarum febrium in continuas mutationem oriri ut plurimum a lento humore, inque putredinem prono(& ſi non negaverim quandoque naſci a principio rheumatico) univerſum corpus obruente, quis probe callens rationalis medicinæ præcepta, illorum methodum non damnaverit, qui feſtinanter, nullaque circumſpectione in quocumque ſynochorum putrium ſtadio, nullis prægreſſis coctionibus, nondum obtenta, quam tantopere inculcant laudati Viri, ſufficiente corporis expurgatione, Chinam chinam præſcribunt? Eximium eſſe pharmacum in reſtituendo ſolidorum elatere, ſtypticitate ſua amiſſam reparare fluidorum *craſim*: prophylacticum remedium eſſe eximium in præveniendis febribus vere periodicis, quæ ſæpiſſime ſynochos putres excipiunt, eo vel magis, ſi Huxamiano more (61) temperatis vividis ſthomacicis junctum exhibeatur, fateamur neceſſum eſt; ſed fatendum quoque, peſſime ceſſurum eſſe, niſi opportuno tempore, & convenienter adhibitum fuerit.

§. 19.

(60) *Lib. epidem.* 232.
(61) *Capit.* 8. *de putrid. malign. petechial. febr. pag.* 3. *edit. Neap.*

§. 19.

HUcuſque traditis fidem adjungunt teſtimonia immortalium Virorum Pauli Gottlieb Werlhof, Friderici Hoffmanni, Johannis Baptiſtæ Morgagni, Hermanni Boerrhaave, ejuſque Commentatoris Gerardi Van-ſwietten, Tiſſot, aliorumque. Et ſane licet æquam corticis peruviani laudationem ſuſceperit Werlhof (62), oſtendit tamen in obſervationibus ſuis, quam turpiter, & temere errent, qui in omnibus febribus a vere periodicis genio diverſis, puta continuis, ex alio fomite malignis ſtricte dictis, continentibus, inflammatoriis, exanthematicis, aliiſque æque laudant, & adhibent Chinam chinam, ac in intermittentibus: divinam pene hujus virtutem non ſolum lædi ſubdit in febribus natura continentibus, exanthematicis, acutis, ſed in febribus cum vera intermittente, aut remittente commixtis præberi haud poſſe corticem affirmat ante alterius febris, quæ alienæ indolis eſt, declinationem: *qui abundant humores vel cocti, vel crudi etiam impetum vanum, & haud ſufficientem ad excretionum loca faciunt, ante remedii uſum proſcribi debent* (63): Hæc ſerio perpenſa, & ad rationis trutinam vocata, nec non ad obſervationem, ac experientiam nos, ni fallimur, aperte docent, quantum res alea plena ſit, indiſcriminatim, non rite conſideratis morbi natura, conjunctis, febriſque tempore,

(62) *Lib. de laud. medel. tract.* 1. §. 15. *pag.* 71.
(63) *Loc. cit.*

pore, & procedendi modo remedia præſcribere; tum quanta ſedulitas, quantaque prudentia requiratur, ut faciles, genuinæ, tutæ, & ſalubres febres a difficilibus, infidis, degeneribus, & noxiis diſtingui poſſint, ne fortaſſe decepti, aut in quorumdam verba jurantes, quo nihil pejus, medicamenti loco venenum ægris præbeamus. Numquam ſatis medentium animis infixum erit aureum Hippocratis monitum, ſaltem non nocere, quum prodeſſe non poſſumus. Quemnam fugiet grave periculum, in quod labuntur ægri, quotieſcumque intempeſtivas injicimus habenas morbo, hiſque interturbantur ſalutares naturæ motus? Harum triſtes exitus non ignorabant ſuis temporibus experientiſſima medicinæ Lumina Johannes Baptiſta Morgagnus, Hermannus Boerrhaave, & Fridericus Hoffmannus, quorum primus paſſim in ſuis operibus, & ſpeciatim in epiſtola ſexageſimaoctava (64) dum ſuſpicit Divinam Providentiam; quæ eximium, ac pene cæleſte pharmacum, corticem peruvianum, nobis largiri dignata ſit pro fugandis febribus intermittentibus, non parum dolet, quod *non omnes febres periodicæ ſint: at ſynochæ ſunt, & quæ, ſi eorum, quos ſuſtulerunt, corpora diſſeces, aut nihil oſtendunt, quod peculiarem præcipui morbi ſedem, naturamque patefaciat, aut viſcerum graves quidem, & manifeſtas læſiones oſtendunt, ſed quas ſi cum iis conferas, quæ ſunt in ægrotantibus obſervata, facile intelligas,*

a

(64) *De ſed. & cauſ. morb. tom. 4.*

a latente alio præcipuo morbo fuiſſe productas. Ex his enim eam malignam arguit præclariſſimus Auctor latere acrimoniam materiæ morboſæ, a qua *ſi intus relinquatur, irritationem multo magis, quam tranſeuntem ab evacuantibus, præſertim mitioribus, eſſe timendam* pronunciat. Hinc intelligimus, cur paullo ſuperius dicat magis dolendum eſſe, *quando in iis febribus, ut ſæpenumero contingit, quæ & perniciosiores ſunt, & plures eodem tempore invadunt, malignis videlicet, ac epidemicis*, morbi ſedes, naturaque haud dignoſci poteſt. Ratum ſiquidem eſt ex Auctoris ſententia, non ea felicitate, ac certitudine medica malignarum febrium, & epidemicarum inſtitui poſſe curationem, quum uſu confirmata adhuc dum deſiderentur malignæ harumce febrium acrimoniæ corrigendæ ſpecifica, ac illi ſingulari, unde originem trahunt ſynochi putres: quam ob rem in alterantibus, & lenibus evacuationibus totum medendi cardinem ponendum eſſe teſtatur. Secus enim *idem agis, ac ſi febrem a viperæ morſu natam remediis vincere antifebrilibus, neglecto veneno, conaveris. Numquam ſecura, & felix*, ait Fridericus Hoffmannus (65), *poteſt cedere febrium cura, niſi facta fuerit peccantis materiæ evacuatio .... Imprudenter autem* (66) *ſecundum noſtram mentem exhibetur* (cortex peruvianus), *ſi*

(65) *Obſerv. pract. contra febr. tertian. tom.* 10. *edit. Neapol.* 1762.

(66) *Obſerv.* 6. *loc. cit.*

ſtatim in principio paroxyſmi opprimuntur in plethoricis, & cacochymia bilioſa laborantibus, quibus taliſmodi intima febrilis commotio admodum proficua eſt. Febrem, de qua ſermo eſt, comitantur ut plurimum non æquivoca ſigna cacochymiæ bilioſæ, alvi tarditas, interdum concluſio, abdominis ſublatio, ac tenſio dolori juncta. Utrum in acuta febre hiſce conjunctis ſtipata conveniens remedium eſſe poſſit, quod, juxta Hoffmannum, vi adſtringente præ ceteris hujuſce generis remediis pollet, nondum obtentis ſalutaribus, ac neceſſariis evacuationibus, cautiores Clinici dijudicent.

§. 20.

AUdiamus modo commendatiſſimum Lauſannæ decus Tiſſot apertiſſime fatentem in eleganti ſua, ac vere Medica diſſertatione de febribus bilioſis ſe numquam uſum fuiſſe China china, narcoticis, ſed eximii Pauli Valcharenghi veſtigiis preſſo pede inhærentem ad aperientia, diluentia, & ſaponacea confugiſſe, ut vel emendaret, ſi quæ jam eſſent, aut præpediret facile futuras obſtructiones in viſcerum, membranarum, & ligamentorum ſyſtemate, quas fæculenta, tenaxque bilis relinquere ſolet. Triplici enim ex fonte has natas febres in pluribus egenis, qui ſuam implorarunt opem, ſe notaſſe teſtatur (67): 1. *Si in primo ſtatu purgantia quidem adhibita fuerint, omiſſa vero coctio*

(67) *De febr. bilioſ. pag.* 88.

coctio digestivorum ope, & emesis, quæ, notante clarissimo Grainger (68) *obstructiones in epidemia autumnali tam certo præcavet .... nascebantur* 2. *obstructiones in secundo, & tertio statu, si nimia festinatione, deficienteque copiosa dilutione, pars materiæ morbidæ fluidior reiteratis educebatur purgationibus, crassiore firmiter profundioribus visceribus agglutinata remanente:* 3. *demum excipiebant citius sedatam usu adstringentium, corticis peruviani, & narcoticorum, quod evenit tribus fœminis in eadem domo, ex electuario condito rosarum, China china, & theriaca andromachi*: Hactenus Tissot, qui longa, & attenta morborum observatione, Natura duce, & experientia monitum ob oculos ponit de China china, hujusque verum operandi modum a posteriori candidus impertitur, ceteris, quas multi dicunt eamdem possidere, viribus missis, vasorum scilicet obstructiones reserandi (dummodo illas excipiamus, quæ a mera debilitate vasorum nascuntur), opportunam, & lenem perspirationem ciendi, aut interceptas, vel retroactas, de quibus in sequentibus fusius dicemus, varii generis cutis papulas provocandi, revocandique. Re enim vera inter lenia diaphoretica, & aperientia proprie dicta velle recensere pharmacum, cui non solum docti elapsi sæculi viri, sed celeberrimi Scriptores vitali aura (summo artis bono) adhuc fruentes, ipsaque experientia rerum magistra fidem derogant,

(68) *Histor. febr. anomal. pag.* 74.

idem eſt, ac velle cæcutire meridiana luce, aut vana loqui, & noxia. Summum namque intercedere diſcrimen vim inter, quam natura ſua eamdem ſemper, & proxime exerit remedium aperiens, atque illam, quam præſtat, indirectam, & juxta circumſtantiarum, morbi, idioſyncraſiæ, cauſarumque varietatem variam cortex peruvianus, nemo ſanus, credo, inficias ibit. Quo enim pacto corticis auxilio, cujus vi ex analyſi chymica, ab experientia, obſervationibus, nec non immortalium Auctorum placitis confirmata humores intra vaſa coërcentur, aut in viſceribus congeruntur, per cutis poros, aut urinæ, alvique vias morboſæ cauſæ expulſionem jure expectabimus? Morbi ne initio, an incremento, quibus corpus quaquaverſum obruitur humoris crudi quantitate, ſolida ſpaſmis torquentur, vaſa præturgida ob lentorem humorum, ſi non ex phlogiſtica, a corrupta certe conſtitutione natum (69)? An ſtatu, quo Natura ad concoctionem totis viribus intenta eſt, vel hanc ſi molita fuerit, evacuationes tentat? De cura febrium generali verba faciens immortalis Herrmannus Boerrhaave (70) inquit, illam fore curandi methodum optimam, qua vitæ, ejuſque viribus conſulitur: *ſi nempe acre irritans corrigatur, expellatur, lentor diſſolvatur, educatur, & ſymptomata mitigentur*: quæ verba ipſius Commentator Van-ſwietten interpretatus ea omnia,

(69) *Uti ſuperius notavimus de ſententia cl. Ludwig.*
(70) *In Aphoris.* §. 598.

nia, quæ liberrimum humorum circuitum per ſingula vaſa impedire poſſunt, proſcribit, concluditque, *toties ſublata febre per corticis peruviani uſum, mala peſſima chronica manere, quia una cum febre lentor ille curatus non fuit.* Et alibi (71): *requiritur, ut prius ſevero examine inquiratur, an aliquid lateat in corpore, quod febrim requirit, ut cito, & tuto tolli poſſit, uti etiam an a febre, ſi relinquatur, expectari poſſit inſignis quædam utilitas, ſive in tollendis inveteratis malis, ſive in mutando corpore ſic, ut ad firmam valetudinem, vel & longævitatem diſponatur: in tali enim caſu cortice abſtinendum foret..... Ubi ergo*, addit alio in loco (72), *febris inſervire poterat, quod toties fit, ut felicius, & tutius tollerentur, vel emendarentur illa, quæ in ſolidis, & fluidis degeneraverant a ſanitatis legibus, corticis peruviani uſus nocet: uti etiam, ſi a febre intermittente merito ſperari poſſit inveterati cujuſdam mali cura, epilepſiæ verbi gratia, vel corporis ad longævitatem, & firmiorem ſanitatem diſpoſitio.* Neque diverſa loquitur ſermonem habens de febrium intermittentium cura per corticem peruvianum juxta methodum Sydenhamianam: notat enim in epidemicis continuis febribus non tantum non profuiſſe, ſed & plane nocuiſſe corticis uſum (73). Illam ſemper præ oculis habuit indica-

(71) *In comment. tom. 2. pag. 562.*
(72) *Loc. citat. pag. 566.*
(73) *Lib. citat. pag. 569.*

tionem in harum febrium curatione meritiſſimus Auctor, quam tantopere inculcat numquam abſque laude nominandus Sydenham (74), *nempe ut ſanguinis commotio intra modum naturæ propoſito congruentem ſiſtatur; ea nimirum ratione, ut nec hinc plus æquo gliſcat, unde periculoſa ſymptomata inſequi ſolent, nec illinc nimium torpeat, quo pacto vel materiæ morbificæ protruſio impediretur, vel ſanguinis novum ſtatum affectantis labefactarentur conatus.* Febre namque Naturam uti, ut purum ab impuro ſegreget, concreta ſolvat, tenacia attenuet, reſiſtentia ſubigat, ſubacta variis viis expellat de corpore, ſi ſanitatis legibus amplius obedire nequeant, ſententia eſt laudati Commentatoris (75).

§. 21.

AT non pauci ſunt, qui corticis vim ſingularem, immo ſpecificam prædicant in ſynochis putribus, eamque ſummis extollunt laudibus eo freti principio, nempe ſi gangrænæ, & ſphacelo vel incipientibus, aut quodammodo antiquis, uti in externarum partium ulceribus contingit, reſiſtit, aut eadem ſanat, nil prohibere, quominus corruptæ febri, in qua humores ex putri in gangrænoſam indolem degenerare poſſunt, remedium ſit efficaciſſimum, & prophylacticum. At quantum diſtet hic ratiocinandi modus

(74) *Sect.* 1. *cap.* 3.
(75) *De febr. in genere pag.* 149.

dus ab experientia rerum magiſtra, & accuratis obſervationibus, ſequentia docent. Licet enim non ignoremus tentamina a docto Pringle inſtituta, quibus evincitur, carnis fruſtula ad duos, treſve dies fornacis calori expoſita immutata servari ope decoctionis Chinæ chinæ, neque novum nobis ſit, pervetuſta ulcera deterioris indolis, & partes gangræna, & ſphacelo fere conſumptas mirum in modum & illa ſanata fuiſſe, & has, obtenta putrefacti felici ſeparatione, firma cicatrice obductas; verbo, Chinæ chinæ ſubſidio malum vicina inficiens efficaciter cohibitum: non æqua tamen concluſio elici videtur: ergo non minus proderit in ſynocho putri. Primo enim nil impedit, quominus, ut inquit clariſſimus Johannes David Hahnius de venenis, in corpore fiant, quæ extra illud fieri animadvertimus: experientia conſtat, Gas muſteum, & Salinum hominem exanimare, cadaver a putredine defendere: cur aromata carnium putredinem arcent, hanc promovent ultra modum ingeſta? Rationem petere liceat ab illis, qui ab experimentis extra corpus ſuſceptis remediorum vim in corpore explicare contendunt, ob quam venena, licet eadem ſint, vario tamen modo pro varia, qua ſubeunt corpus, via, Naturæ inimica ſint: conſtat enim alia per cutim inſinuata venena eſſe, quæ per os ingeſta innocua ſunt, quin immo inter præſidia a multis collocantur. Hæc ſane effectuum varietas in uno, eodemque corpore quantum infirmet illorum ratiocinationem, qua ab his, quæ extra

corpus

corpus contingunt, remediorum vim in corpus agentium deducere nituntur, ſatis, ni fallor, evincere videtur. Secundo quæ in circulante ſanguine extranea latent, emendari non poſſe, aut per convenientes vias expelli de corpore, niſi libera ſit, & requiſita vaſorum actio in fluidas partes, docent Phyſiologi: jam vero, licet concedamus Chinam chinam ob particulas, quibus prædita eſt, referente Van-ſwietten, balſamicas, aliqua ratione opem laturam eſſe in febribus corruptis, ob vim tamen, quæ ſupereminet, adſtringentem, vel ſi cum aliis loquamur, coërcentem, utpote ſalutares Naturæ motus impedientem, noxiam evaſuram fore dicendum eſt. Deinde cui non notum erit diſcrimen, quod intercedit maximum inter morbum loco circumſcriptum externo cum nulla, aut exigua febre, & febrem acutam, in qua & ſolida rigiditate laborant, humoreſque lentore peccantes corpus obruunt? In gangræna ſiquidem, & ſphacelo, quæ ſolidis robur conciliare valent, humoribuſque firmiorem conſtitutionem, utilia eſſe ultro, & libenter damus, quum nullis tum egeat Natura evacuationibus (76); ex adverſo in ſynocho putri, ſi quæ a ſanitatis legibus receſſerunt, non eliminentur, funditus œconomiam perverti teſtis eſt experientia.

(76) *Legi meretur diſſertatio cl. Foquet de uſu Chinæ chinæ proficuo in quibuſdam putridis, ut inquit*, dyſentericis, in variolis cum petechiis: ibique momenta tradit, ob quæ in his proficuus cortex peruvianus, noxius in ſynochis putribus.

rientia. Cur ab hiſce febribus cortice peruviano, aut aliis hujuſce generis remediis coërcentibus intempeſtive ſuppreſſis chronici ſequuntur morbi? Cur motus ſpaſmodici, convulſiones, præfocationes, imi ventris *meteoriſmus*, inordinatæ arthritides, inflammatio inteſtinorum, mors denique? Præterea ſi juxta cautiores Clinicos in febribus periodicis obſtructio alicujus viſceris, aut in morbis acutis obſcura, vel evidentia præſentis, aut futuræ inflammationis ſigna cautiſſimos nos facere debent in uſu Chinæ chinæ, quin immo ab hac omnimode abſtinendum eſſe ſuadent; eo magis huic ſuperſedendum eſſe ratio docet in ſynocho putri, in qua lentor acrimoniæ junctus univerſalem *ſtaſim* inducit. Addamus, in gangræna, & ſphacelo partem aliquam externam occupantibus vitalem motum periiſſe, proptereaque illa præſidia, quæ viribus vitæ erigendis, augendoque calori, & motui apta ſunt, e re eſſe, ut corrupti ſeparatio obtineri poſſit; e contrario in hac febre, quum nimius jam calor ſit, humorumque circuitus inordinatus, ab iis, quæ motum ſanguinis inteſtinum augere poſſunt vi tonica, aut coërcente motum in circuitum retardare, abſtinendum eſſe docet ſana ratio, & experientia confirmat.

§. 22.

AT, licet admittamus, quod concedere nequeunt ſanæ Phyſiologiæ leges, putridi principii in circulante ſanguine, quamdiu vaſa integra ſunt, præſentiam: hoc ne a China china emendabitur?

tur? Nobis reſpondeant, qui ita ſentiunt, cur ex cortice peruviano non apte, aut ultra modum exhibito in febribus intermittentibus, prævalente humorum lentore, vitium pulmonum emergat in febrem hecticam non raro degenerans? Cur ulcera pulmonum, & febris ex reſorpto pure ſane putrida tanto remedio non reſaneſcant? Lugenda ſane, & numquam ſatis foret calamitas, ſi tot oculatiſſimos elapſi, & præſentis ævi viros hujuſce remedii jamdiu detecti præſtantia in hiſce morbis omnia fere artis molimina eludentibus effugiſſet. Sane meritiſſimus Gerardus Van-ſwietten, poſtquam retulit varios caſus de hujus remedii vi in ſiſtendis gangrænis, & ſphacelis, quos per literas communicavit Societati Chirurgorum Londinenſium celebris Nortamthonienſis Chirurgus Rushworth, & alios recenſet, quibus conſtat, ſuperatam neutiquam fuiſſe gangrænam ab ipſo cortice; hinc ſolita ingenuitate concludit, ſe nondum audere ex propriis obſervatis aliquid determinare, quum *frequentiſſime gangrænas, & aliquoties ſphacelos, etiam in ſenibus, ſine corticis peruviani uſu, non tantum ſubſtitiſſe, verum etiam pulcherrime ſeparatos a vivis partibus, immo & ſanatos viderit* (77). Præterea non talem, & tantam, quantam alii prædicant, ſpem collocaſſe laudatum Virum in cortice peruviano, colligi poteſt ex iis, quæ habet de generali

febris

(77) *Tom.* 1. *pag.* 793.

febris continuæ putridæ curatione (78): duplex enim febrium putridarum genus obſervatur de hujus Viri ſententia, utrumque continuum, utrumque humores corrumpens, omneſque fere corporis functiones lædens: unius comes eſt inflammatio valida in craſſioribus liquidis cum pulſu duro, ſaltem initio morbi, & calore magno: in altero tanta non deprehenditur mutatio in craſſioribus liquidis, ſed tota in tenuioribus ſita eſt: in priori omne tulerit punctum, qui totam curandi methodum collocaverit in prudenti ſanguinis miſſione, in refrigerantibus, & diluentibus; ad alterum quod ſpectat, ne verbo quidem de China china habito, ea ob oculos ponit remedia, quæ, ut Auctoris verbis utar, *aromatica, penetrabili virtute languentes vires erigunt, & per ſudores, vel auctam ſaltem diaphoreſim expellunt de corpore latens illud malignum epidemico contagio ſæpe ſuſceptum, uti in peſte, & febribus peſtilentialibus dictis obſervatur, qualia ſunt ruta, ſcordium, angelica, & ſimilia* (79): ex his, ni noſtra nos fallit opinio, abunde patet, quanti juxta celeberrimum Auctorem habenda ſit China china in ſynochis putribus, quidque de illis ſentiendum ſit, qui præoccupata opinione, & falſis innixi principiis hanc adhibent, ceu tutum, & eximium remedium, nulla cauſarum, conjunctorumque febris habita ratione: de his appoſite

(78) *Tom.* 2. §. 736. *pag.* 442.
(79) *Loc. citat.*

appoſite dici poſſet, quod olim Pechlinus affirmavit: *eſt hic Mortalium, & Medicorum error, nova quæque, & ſubita, & peregrina, velut de cælo lapſa extollere, & cum in uno, alteroque remedium feliciter ceſſerit, univerſæ ſtatim morborum familiæ panaceam quamdam deſtinare, mox iterum, ubi præcipiti famæ non reſpondet, elogia in crimen vertere, & quod in uno, alteroque caſu fidem non ſervarit, velut in damnoſum proſcribere: atque illud quidem, ut vulgo, & idiotarum ſectæ condonari poteſt, ita in Medicis ineptum valde, & culpæ affine eſt* (80). *Ad magna præſertim remedia*, inquit immortalis Sydenham (81), *nonniſi ſuſpenſo pede, ac tardius procedere oportet.* Obſervationes igitur diligentes, accuratæ, & experientia ſunt, quæ maximum rebus medicis lumen afferre debent, neque negandus honor, & reverentia, quam Medicis, ut ait Van-ſvvietten (82), longævo artis uſu claris nemo prudens detrahere poteſt.

§. 23.

AT quibuſdam fortaſſe videbimur nos perfricta fronte reſiſtere doctiſſimorum Virorum obſervationibus, quibus proſpere ceſſiſſe remedium in hiſce febribus, in petechialibus, in variolis male moratis, inque febre miliari retroactam, aut difficilem, fatiſcentibus Naturæ viribus, puſtula-

(80) *In præfatione libel. de potu Theæ.*
(81) *Sect. 1. cap. 2. pag. 52.*
(82) *De morb. epid. tom. 5. pag. 200.*

ſtularum extruſionem feliciter revocaſſe evincere contendunt. Inter hos adducunt ſummos in arte Viros Antonium De-Haen, Friderícum Hoffmannum, & Richardum Morton. Maximi certe momenti eſſe teſtimonia horum graviſſimorum in Medicina Luminum fatendum eſt, neque ſatis unquam laudabitur, qui horum ſequens veſtigia curationes morborum ſuſcipiet: verumtamen nobis liceat in præſentiarum, ut, quæ hucuſque tradidimus, clarius eluceſcant, varia laudatorum Virorum loca colligere, quaſdam animadverſiones addere, ex quibus conſtet, utrum in memoratis morbis corticem peruvianum, ceu tutum, ſpecificum, & perpetuum remedium ſemper laudaverint, an illud ſumma circumſpectione præſcripſerint, niſi promptiſſimum hujus uſum ſuaderent aut humorum ſolutio ex deleteria humorum qualitate, non quantitate peccans, aut febris periodica Naturæ motus principaliori morbo vincendo idoneos, ac neceſſarios turbans. Re enim vera citatus De-Haen de remediis verba faciens, quæ curandis febribus acutis, continuis, putridis ſunt accommodatiſſima, ea laudat, quæ ex claſſe acidorum, ſaponaceorum, & aperientium depromuntur: *quum hæc præſidia diluant humorum maſſam, ſpiſſa attenuent, ſitim extinguant, leniant acre, ſtricta laxent, dolores moderentur, incipientem putredinem corrigant, avverruncentque futuram, vires denique refocillent, ſuſtentent* (83): quod vero

(83) *Rat. med. tom.* I. *part.* I. *pag.* 12.

vero China china hiſce non polleat dotibus, ab iis, quæ tradit in capite de firmanda præ aliis methodi Hippocraticæ in curandis febribus acutis præſtantia, evinci poteſt: *ſi ad curandas*, ait, *febres putridas fere abſoluta eſt Chinæ chinæ neceſſitas, cur omnes noſtri in Noſocomio non moriuntur? Ne granulum quidem hujus præſcripſi unquam, & tamen centeni teſtes fatebuntur, vix paucos ab acutis morbis toto biennio aut interiiſſe, aut poſtmodum languiſſe* (84): at nonnullos audio, qui hiſce non adeo contenti, ut remedium Chinam chinam ceu aperiens, aptumque noxiis extricandis principiis evincant, Haeniana loca proponunt, e quibus eruitur, in variolarum expulſione efficaciſſimum fuiſſe: inter hæc hiſtoriam in medium afferunt, quam a Veſterkoff Poliatro Hagano De-Haen depromit (85): verumtamen minus recte ab hac hiſtoria concludi videtur de præſtantia corticis peruviani in cienda, maturandaque variolarum eruptione, ſi ad ſucceſſionem duorum morborum, quos palam facit memorata hiſtoria, paulliſper attendatur. Quæſo: latebat virus varioloſum, vixque adparentibus expulſionis ſignis, ſociatur febris periodica graviſſima omnimodas fere vires proſternens: fugatur hæc, ceu urgentius malum, cortice peruviano, hacque, tamquam obſtaculo, remota, feliciſſima ſuccedit variolarum eruptio: ſane, rebus ita ſe habentibus, uti ex

relatu

(84) *Tom. cit. part.* 1. *pag.* 16.
(85) *Tom.* 1. *part.* 2. *pag.* 164. 165. 166. *&c.*

relatu apparet, ecquis legitime concludet, directam esse, & specificam Chinæ chinæ vim extricando seminio varioloso?

§. 24.

AD rationem potius accedere eum affirmabimus una cum prudentioribus opinantem, in hoc casu Naturam duobus inter se se oppositis conflictatam morbis ab uno ope corticis liberam omnes in alterius medelam intendisse vires. Quod de hac variolarum historia affirmatur, idem jure posse dici credimus de altera, quam habet (86), fœminæ 24. annorum innuptæ ancillantis, in qua Chinæ chinæ ope puncta rubra jam evanida confertiora in collo primum, dein in humeris, in jugulo, pectore, abdomine, dorso prodiisse legimus. In pessimam enim hæmitritæam versum esse morbum apparet, quæ a Mercato tertiana pernicioſa dicitur, a vulgaribus hominibus, referente Franciſco Boissier de Sauvages, febris malignæ nomine insignitur. Profecto a rationali medendi methodo recessisset celeberrimus Clinicus, si morbum adjunctum ceu periculo magis plenum prompta, & satis larga *febrifugi* dosi haud fugasset. Omnibus notum est, sanguinis missionem, in morbis, quorum fomitem constituit bilis æstuans, ac corrupta, directe non convenire, juxta vulgatum Galeni dictum, *frænum bilis est sanguis*; at nemo nescit, sæpius ad hanc confugere Me-

(86) *Loc. citat.*

dicos debere, methodo, ut inquiunt, extraordinaria, ceu neceſſariam, quum imminuens ſanguinis copiam inordinatos quoquomodo motus compeſcat, & Naturæ vires ſublevet, remotis, aut ſaltem ex parte ſublatis humorum circuitui reſiſtentiis. Quid plura? Licet indubia res ſit, & uſu quotidiano firmata, præſenti, vel brevi apparituro per cutim humore variolоſo, aut morbilloſo, numquam, aut niſi ſumma cum religione adhibenda eſſe remedia purgantia, ne horum ope ſtimulus in inteſtinis ſuſcitatus a corporis ambitu, ceu vera horum morborum ſede, ad centrum humores alliciat, triſtemque faciat morbi exitum: conſtat tamen ipſamet experientia, prudenti manu purgans miniſtratum feliciori ſucceſſu, & citius interceptum exitum promovere: quum enim ſeminia hæc natura ſua ad contractionem vaſa adigant, ſi quidpiam alterius indolis aut in primis viis, vel per ſanguineas oberrans vias erit, cujus conveniens exitus per cutis poros obtineri nequeat, primarii, & præcipui morbi curſum turbabit ſtimulos ſtimulis addens, impedietque, quo minus optata, ac neceſſaria ſuccedat eruptio.

§. 25.

EX his ergo, aliiſque intelligitur, quanta prudentia, quantaque ſedulitas requiratur in remediorum delectu, & admotione: patet quoque, quid de illis ſentiendum ſit, qui, ratione, ſedulis obſervationibus, & experientia procul ſepoſitis, cæco impetu, vel aliqua auctoritate per-

permoti hoc, vel illud remedium ſupra modum in deliciis, aut odio habent; qui ita ſe gerunt, dum charybdim vitare cupiunt, in ſcyllam incidunt. Aliud enim eſt caute, & circumſpecte cum remediis agere, aliud ob falſam præconceptam opinionem, & male intellectam morborum naturam, horumque varias circumſtantias, remedia, ceu ſemper noxia, proſcribere. Sane non ita frequenter illo obſtructionis vocabulo aures Medicorum obtunderet vulgus, ſi Chinæ chinæ vim, & efficaciam probe callentes omnes Medici, nec non opportunum hanc exhibendi tempus in febribus vere periodicis, imperitorum voces ſupprimerent, demonſtrantes, ex repetitis acceſſibus, exque non adhibito cortice viſcerum congeſtiones repetendas eſſe, non a remedio, cui has inſcii, & acerrimi corticis oſores adſcribunt; neque tot morborum initio ſimplicium, & benigniorum triſtes exitus paſſim notarentur, ſi cum moroſis ægrotantibus, & pſeudo-Medicis agendum non eſſet. Quid enim vetat, Chinam chinam præſcribere in arthriticis, podagricis, aut ſcorbuticis, quoties hos periodica febris prehendit? Non ſuaderem certe, ut offeratur, ſi morbus a *diatheſi* pendens actu detergatur; aut ſi humor a propria ſede devius *metaſtaſim* fecerit ad viſcera vitalia: rebus ita ſe habentibus, in primo caſu febrem ſupprimere China china, idem perinde foret, ac velle turbare ſalutares Naturæ motus: in ſecundo altius materiem impingere, quum ipſa febris, ceu remedium impactæ materiæ mor-

boſæ ſuccutiendæ, inque circulum revocandæ efficax conſiderari poſſit. Neque facilis ero in corporibus plethoricis, in cacochymis, aut in illïs, quos urget chronica pulmonum labes, niſi hæc fortaſſe ſuam trahat originem a febre legitime periodica. At ubi ſilent omnia, rite procedunt corporis functiones, nullaque ſigna ſunt cacochymiæ in primis viis, aut in via ſanguinea, quæ contraindicant uſum Chinæ chinæ, aut ubi recurrens podagra, vel arthritis, dum ſui evolutionem tentant, hanc impedit, vel enervat ſuperveniens febris intermittens, a prudentiæ, & medicinæ rationalis legibus is declinare videtur, qui corticem peruvianum ceu inopportunum, & noxium remedium crediderit: ex fermenti ſiquidem, ut inquiunt, febris intermittentis, & inſiti principii nexu, exque ſucceſſivis acceſſionibus vaſa in dies debilitantur, eamque liquida aſſequuntur indolem, ut, peſſumdatis ſecretionibus, & excretionibus, novus emergat morbus, quem inter mala minus dixeris, ſi incurabilis tantum evadat (87).

§. 26.

(87) Hæc dum ſcribo, in mentem revoco hiſtoriam morbi, quo celeberrimus, & prudentia, doctrina, morumque integritate nemini ſecundus conflictatus fuit Archiater, & in Academia noſtra jam pridem Profeſſor practicus meritiſſimus JOSEPH ANTONIUS BADIA, quem veneror, cujuſque gratiſſima amicitia honori mihi eſt, & utilitati, quum ipſum adire non poſſim, quin doctior redeam. Eximium itaque Virum octuageſimum, & ultra ætatis annum agentem prehendit febris tertiana menſe Auguſti ann. 1775. Vehementes febris acceſſiones comitabantur arthritici dolores longo jam

§. 26.

LOngiores, quam par eſt, eſſemus, ſi omnes, quas habet Auctor, hiſtorias, ex quibus concludit, corticem utiliter exhibitum eſſe, adducere in animo foret: id unum notaſſe ſufficiat, in omnibus morbis ſummas meruiſſe laudes remedium, in quibus aut ad ultimum evecta fuerit gradum humorum tenuitas cum omnimodo virium defectu, aut hæmorrhagiæ lethales ſupervenerint, aut febres tertianæ *ingenium biliosum*, ut inquit Hoffmannus (88), *ferox*, *ſæpe malignum cum exanthematibus induentes*: Mehercle his in circumſtantiis, quum remediis

 alteran-

---

tempore inſiti, nauſea, oris amaror, quodque plurimum faceſſebat negotium, immodicus ex hæmorrhoidibus ſanguinis fluxus: jamque ex profuſa hac evacuatione vires adeo debilitabantur, ut œdematis non æquivoca ſigna faciem, coxas, & crura occuparent. Hoc in rerum ſtatu nil promptius China china habuimus, qua febrem, ceu urgentius malum fugaremus, nulla habita humoris arthritici, & *cachexiæ* ratione. Hanc larga doſi ſumendam curavimus; at quum ob ſpecialem ægri conſtitutionem munere potius hæc fungeretur remedii purgantis, quam febrem pellentis, & hæmorrhagiam in dies magis promoveret, huic, quæ efficaciter adſtringerent, adjecimus, ne noſtram expectationem remedium falleret. DEO dante, hac methodo febris evanuit, neque remedium adſtringentibus ſociatum materiem arthriticam exaſperavit, eo minus leucophlegmatiam promovit: quin imo firmiorem ab eo tempore ſanitatem recuperavit clariſſimus Auctor, & adhuc dum ſervat in ſummum Artis medicæ, & Reipublicæ bonum.

(88) *De obſerv. febr. ſect.* 1. §. 8.

alterantibus vix ſuppetat tempus, intereaque cito agendum ſit, æquum ſane, & rationi conſonum videtur, ad Chinam chinam confugere, quæ ſubadſtringente, & tonica, qua pollet, vi ſolidorum robur erigere, majorem fluidis denſitatem reſtituere, hæmorrhagias compeſcere, tempuſque facere opportunioribus auxiliis poteſt. Id colligere eſt ex multis hiſtoriis, quas recenſet Antonius De-Haen, in quibus *egregius*, ut inquit ipſe, *petechiarum*, *vibicum*, *miliarium conſpectus*, *hicque numeroſior notatus eſt corticis uſu*; at ex hac methodo extraordinaria ordinariam, tutam, & ſpecificam inferre velle pro ſynochis putribus abſurdum videtur, eodem non repugnante (89): *Monitos velim*, inquit, *omnes Medicos*, *quam periculoſa ſit certa quorumdam agendi methodus*, *qua ſemper morbi malignitas*, *numquam forſan affutura*, *non dico*, *præſagitur*, *ſed præſomniatur. Quis hujus porro effectus? ut detrahantur ægris antiphlogiſtica remedia*, *iiſdemque aut inertia*, *aut noxia ſubſtituantur.* Porro quod inter hæc noxia remedia cenſenda ſit China china, manifeſtiſſime apparet ex corollariis, quæ habet laudatus Auctor (90): neque pro diverſa pugnant ſententia, quos ibidem profert, Auctores Carolus Richa Taurinenſis, Huxam, & Pringle.

§. 27.

(89) *Lib. citat. pag.* 288.
(90) *Lib. citat. corol.* 1. 2. 3. *pag.* 284.

§. 27.

INterea vero ſunt, qui pro *antiſeptica* Chinæ chinæ efficacitate in ſynochis putribus acerrime pugnant auctoritate freti Richardi Morton, ex cujus hiſtoriis, ut ipſi cenſent, aperte conſtat, variolas, & phthiſes ad optimum finem perductas fuiſſe corticis peruviani ope. At horum pace reſpondere liceat, etſi Chinæ chinæ vi multum tribuerit Auctor, cautiſſime tamen cum hac egiſſe, nec in quocumque variolarum ſtadio, aut qualibet phthiſeos ſpecie illam ægrotantibus exhibuiſſe, ſed illis tantum in caſibus (ſi aurea ejus ſcripta attente pervolvantur), in quibus aut periodicus morbi decurſus erat, aut ex vigente febrium intermittentium cauſa pulmonum labes orta, vel lethalia ſe ſe prodiere ſymptomata ex humorum ſolutione pendentia. Re enim vera de variolis verba faciens, nonniſi morbo declinationis ſtadium ingreſſo, corticem exhibendum eſſe monet: inquit enim (91): *Ubi viribus veneni, durante exanthematum maturatione, ptyaliſmo, vel quovis alio modo ex parte fractis, licet non penitus deletis, atque inde uſque ad ſtadium declinationis intus cohibitis, & revireſcentibus, Febris recidiva indolem induerit benignam, periodicis exacerbationibus, & remiſſionibus ſe ſe alternatim excipientibus, curatio nulla methodo, aut remedio certius, ac felicius abſolvitur, quam*

(91) *De maturat. variolor. pag.* 141. *edit. Venet.* 1646.

celebri antidoto, cortice ſcilicet peruviano, qui reliquias veneni ſubigendo, ut in ceteris quibuſcumque morbis, certandi anſam tollit, atque inde luctam febrilem derepente componit: at ubi critica, ut inquit, variolarum eruptio haud felix fuit, quin immo febris adepta fuerit naturam continentis cum diris ſymptomatibus, corticem peruvianum, ceu inutilem candidus affirmat. *In variolis*, ſubdit (92), *autem vere malignis, ſive diſcretæ, vel cohærentes, vel confluentes fuerint, ubi venenum in ipſa critica eruptione ſpiritus adeo ſuperaverit, ut febris malignæ ſpeciem induens unum tenorem ſervet, & augeantur ſymptomata, corticis vires febrifugæ nequeunt amplius evolvi, & in actum duci. Curatio reliqua alexipharmacis, & veſicatoriis jugiter repetitis, quæ ſpiritus ſtimulent, atque erigant, atque opiatis, quæ inordinatos, & efferatos eorum motus coercendo deleteria ſymptomata inde orta corrigant, duntaxat perficienda eſt.* In morbis, quos humorum effœtorum, vel ſordium craſſiorum intus latentium colluvies gignit, apertis verbis alvum movendam eſſe contendit, ſilentio preſſa, immo ſemota China china, *ne ex hac colluvie homoribus communicata phlogoſis excitetur* (ſunt verba Auctoris), & *habitus corporis inde infarctus prægrandi alicui morboſo affectui chronico anſam præbeat* (93): Quid plura? Corticem peruvianum remedium haud eſſe

(92) *Loc. citat. pag.* 143.
(93) *Loc. citat. pag.* 141.

eſſe idoneum in ſinceris variolis ſequentia docent: *ubi primum*. inquit, *febris hæc continua (ut nonnunquam uſuvenit) ſpiritibus alexipharmacorum uſu expanſis, & veneno ex parte circumrato in febrem benignam exacerbationibus, & remiſſionibus periodicis inſignitam immutari incipit, corticem peruvianum ad reliquias fermenti venenati abigendas cum opiatis, & alexipharmacis commixtum, atque tertia, vel quarta quaque hora, quamdiu opus fuerit, repetitum adhibere convenit*: atque hæc de variolis: ad phthiſim quod ſpectat, non parum quoque hallucinantur illi, qui credunt, laudatum Virum corticem peruvianum uſurpaſſe adverſus quamlibet phthiſeos ſpeciem; quum enim conſtitutio putrida, aut diarrhæa, vel ſudores colliquativi phthiſim comitantur, aut huic anſam præbuerint duri tuberculi, aut ulcerati, apertiſſime fatetur, *corticem peruvianum haud æque certum, & perpetuum in febre phthiſica intermittente ſcopum ſuum attigiſſe, ac in intermittente ſimplici a mere morbida ſanguinis* diatheſi *orta, ... aut utcumque ægrum corticis peruviani, atque opiatorum uſus a febre, & diarrhæa plane liberaverit, ceteris tamen pulmonaribus ſymptomatis in dies increſcentibus, a phthiſi e vivis ſublatos eſſe* (94): Ne vero ullus dubitationi locus relinquatur de ſumma, quam adhibuit, circumſpectione Morton in curanda phthiſi ope corticis peruviani, legi, ac perlegi merentur, quæ profert de

phthiſi

(94) *De phthiſi pulmon. cap. 12. pag. 122. 123.*

phthisi orta a febribus præcipue crapulosis, scarlatinis, & intermittentibus. In phthisi enim a crapulosis, scarlatinis febribus nata, ceu præcipiti, & acuta, ne præcaveri quidem, vel curari ullo modo posse testatur *absque tempestivis, & repetitis venæ sectionibus, utcumque debilis esse videatur ægrotantis status ..... debitis autem phlebotomiis jam rite celebratis, reliqua curatio diligenti expectorantium, & balsamicorum, uti & diætæ lacteæ, & julapiorum temperantium usu perficienda est: quod dictum est de phthisi, morbillis, variolis, scarlatinis etiam, & crapulosis febribus (qui quidem morbi sunt omnes unius generis, naturæ scilicet insigniter serosæ, seu colliquativæ), idem ob eamdem causam de omnibus scorbuticis, atque chronicis febribus pari ratione affirmari potest* (95): & paullo post: *quin etiam nullus dubito, quin ipsæ malignæ, & pestilentiales febres, quæ per apostemata, & ulcera critice terminari solent, phthisim etiam superinducere possint, materiem febrilem in tenerum pulmonum parenchyma critice propellendo, unde tumores, atque mali moris ulcera orta phthisim peracutam inducere apta sunt nata: curatio autem perficienda est tempestivo, & diligentissimo medicamentorum expectorantium, abstergentium, & balsamicorum jam ante descriptorum usu.*

§. 28.

(95) *Loc. mox citato.*

§. 28.

PORro quod a ditione corticis illæ omnes phthiſeos ſpecies, in quibus aut corruptio humorum eſt, aut febris acuta continua, lentuſque humor, ut in variolis, morbillis, & ſcarlatina febre, aut vaſorum plenitudo, ut in febribus a crapula ortis, excludendas eſſe contenderit eximius Auctor, patet, ni fallimur, ex iis, quæ ſtatim ſubdit de phthiſi febribus intermittentibus ſuccedente: *Si nempe*, inquit, *ſignum hujus phthiſeos pathognomonicum erit paroxyſmus febrilis, quotidianus, tertianus, vel quartanus, pro morbi ſcilicet originalis peculiari genio febri hectiçæ ſemper conjunctus, ſit unacum tuſſi, dyſpnœa, atque aliis phthiſeos pulmonariis ordinariis ſignis, in hujus phthiſeos curatione cortex peruvianus medicamentis thoracicis, & pulmonaribus ſemper commiſceri debet* (96): Hæc probe animadverſa tantam ne vim confirmant Chinæ chinæ *antiſepticam*, quanta huic a nonnullis tribuitur, an prolatæ a Morton cautiones hanc inutilem, & noxiam oſtendunt in purulenta pulmonum labe, in febre hectica? Jure ne rejiciendum eſſe affirmabimus corticem peruvianum, hoc Viro duce, in morbis a lentore natis, aut a materia corpus obruente? Ergo quum horum cenſui adſcribere non dubitent ſaniores Medici ſynochos putres, ab harum quoque curatione una cum Morton Chinam chinam ſemovebimus, ceu noxium, morboque impar

(96) *Ibidem.*

impar remedium. Experientia namque compertum eſt, eam eſſe harumce febrium naturam, ut, niſi opportunæ reſerantur viæ, & libera, quoad fieri poteſt, ſervetur actio reciproca vaſorum, fluidarumque partium, fomes morboſus diutius, quam par eſt, retentus pejoribus morbis, aut lethalibus tranſmiſſionibus faciat opportunitatem (97). Hinc intelligimus, cur alias laudatus Fridericus Hoffmannus vel in ipſis tertianis febribus imprudenter exhiberi dixerit harum initio Chinam chinam (98). De principiis namque corticis peruviani verba faciens, ejuſque operandi modo demonſtrat, nullimode obtineri poſſe ſub hujus uſu neceſſarias evacuationes ob vim, quam poſſidet, tonicam, & ad-

(97) Triſtem hanc ſubiit ſortem Anteceſſor meus in Noſocomio Medicus Aſſiſtens Johannes Baptiſta Martini Cherienſis amantiſſimus, & pietate, doctrina, vigilantia commendatiſſimus, cujus immaturæ mortis quoties recordor, plurimum angor. Noſocomialis febris fuit: antiphlogiſtica cura adhibita eſt primis morbi diebus: veſicantium uſus non prætermiſſus die morbi nona; & licet evacuationes cum per urinæ vias, tum per alvum non deſiderarentur, furebat tamen in dies magis morbus, cui compeſcendo larga extracti Chinæ chinæ doſis exhibita eſt: hujuſce remedii uſus ſtrenue ad decimamquartam diem continuatus eſt: eheu! ſequenti die numeroſiſſimæ notantur petechiæ in dorſo, pectore, brachiis, & lumbis, enormis accedit inflatio abdominis tympanica, dein ſtertor, ac paucas poſt horas altiſſimo ſepultus lethargo e vivis exceſſit ſummo amicorum, & pauperum mœrore die 9. Aprilis anno 1769.

(98) *Obſervat. pract. contra febr. tert.: obſerv.* 6.

adſtringentem: *unde*, ſubdit, *ſi humor peccans, ſive in ventriculo, ſive in viſceribus diſſolvendus, aut evacuandus paullo copioſior reſideat, tunc ea, quæ incraſſant, & conſtringunt, non poſſunt non eſſe noxia, eo quod obſtructiones contumaciores reddant, & quod humores peccantes in motu ſiſtant: nocent vero quammaxime omnia adſtringentia tam martialia, quam ſuperius recenſita, & Chinæ chinæ cortex in febribus, quando corpora ſunt plethorica, primæ viæ multis cruditatibus obſeſſæ, & viſcera infarctus, & ſtagnationes occupant..... China china cum cura, & prudentia adhibita divinum præbet auxilium, intempeſtive vero data in magna mala ægrotantes præcipitat. Nihil enim in praxi attentiori frequentius occurrit, quod ex febribus China china præpoſtere ſuppreſſis hypochondriorum ſpaſmi, ventriculi, & inteſtinorum toni, dejectiones, perpetua ventris tormina, lentæ febres, cachexiæ, tumores œdematoſi, hydrops, paralyſes, contracturæ membrorum infeliciſſimæ ſubnaſcuntur* (99). Qua vero ratione peccans materia eliminari poſſit, ac debeat, eruitur ex iis, quæ tradit de ſynocho putri loquens. Pertuſa ſiquidem, quantum prudentia exigit, vena, ſuadet, *ut impetuoſus ille ſanguinis, ſuccorumque orgaſmus, vaſorum, quam facit, diſtenſione nervoſas partes irritans ad contractionem, ſedetur, ex uſu ſunt diluentia, acida, nitroſa* (100): In his

(99) *Diſſert. Phyſico-Med. 7. ſect. 2. de medicam. inſecur., & infid.*

(100) *Sect. 2. de febr. ſynoch. curat. §. 2.*

his prudenter adhibitis unacum laxantibus, *ſub febre quidem*, ut inquit, *non tam internis, quam potius externis ..... Declinante autem morbo, & apparentibus coctionis ſignis in urina, quæ ad exturbandas materiæ febrilis reliquias apprime interna ex uſu ſunt*, nempe antiphlogiſticis præcipuum curationis cardinem reponit (101). Huic Viro ſuffragantur Michael Ettmullerus (102), Thomas Willis (103), Thomas Bartolinus (104), Thomas Sydenham (105), Franciſcus Piens (106), aliique innumeri Auctores.

§. 29.

PAtet igitur ratione, auctoritate, obſervationibus, & experientia, quanta opus ſit in exhibendo cortice adverſus ſynochos putres attentione, neque minus patet, quam cauta, quamque diligens, & accurata habenda ſit ratio cauſarum prædiſponentium, & occaſionalium, necnon proximæ, conjunctorumque morbi, & cæli conſtitutionis, ac tempeſtatum, ne dum prodeſſe volumus, ſummopere noceamus: patet tandem non poſſe non a Medico graviſſimos errores committi, qui ratione, experientia,

---

(101) *Loc. cit.* §. 3.
(102) *De uſu, & abuſu Chinæ chinæ.*
(103) *De febrib. cap.* 4.
(104) *Centur.* 5. *hiſtor.* 50.
(105) *Method. curand. febr., & obſervat. circa morb. acut.*
(106) *De febribus.*

tia, & graviſſimorum Auctorum placitis procul ſepoſitis, novitatis libidine tantum, aut præoccupata opinione, vel minus recte intellecta ſummorum Virorum doctrina, Chinam chinam adverſus febres in corruptionem pronas, quodcumque fuerit harum ſtadium, promiſcue adhibet, huicque tenaciſſimus fidit. *Quoad continuas* Putridas *dictas*, monitum eſt Franciſci Torti (107), *ſive* Humorales *illæ fuerint*, *more ſcilicet a nobis expoſito*, *hoc eſt nullum Exacerbationum*, *aut Remiſſionum viciſſitudinibus interpunctæ*, *fuerintque pariter* Eſſentiales, *atque Primariæ*, *tam* Solitariæ, *quam* Comitatæ, & *tam de genere* Colliquativo, *quam de* Coagulativo, *ſingulæque tam* Malignæ, *quam ſimpliciter* Acutæ, *extra dubium videtur*, *illarum quibuſvis ſtabile intra cruorem*, *diverſumque valde ab Intermittentium fermento fermentum habentibus Corticem Peruvianum opitulari non poſſe.* Quod ſi quibuſdam adhuc ſupererit dubium de ſumma hujuſce Auctoris in adminiſtranda China china circumſpectione, illud excutient ſequentia: ad exactam enim rationis, experientiæque trutinam revocata ſententia Richardi Morton, & febribus Continuis per ſubingreſſum acceſſuum ſubintrantibus dictis a ſimpliciter Remittentibus, quarum peculiarem naturam deſcribit, probe diſtinctis, hæc habet (108): *Ex qualicumque autem noſtro in Praxi diſſenſu contra facilis reſultat conciliatio*

(107) *Therapeut. ſpecial. lib. 5. cap. 2.*
(108) *Lib. cit. cap. 3.*

ciliatio quædam tot contrariarum aſſertionum, quæ apud Scriptores minus exactos in hac materia paſſim occurrunt. Ajunt ſiquidem nonnulli, Corticem curare, præter Intermittentes, Febres quoque Continuas, & Malignas, & aliqui non. Utrique recte, utrique minus recte. Utraque enim propoſitio de aliquibus Continuis, atque etiam Malignis vera eſt, de aliquibus falſa: quandoquidem juxta diſtinctionem noſtram curat Continuas, necnon Malignas aliquas, & aliquas non curat; non vero curat omnes, aut curat nullas.

FASCI-

FASCICULUS
HISTORIARUM

Quibus Animadverſiones de China china in ſynochis putribus a ratione, auctoritate, & experientia hactenus deprompiæ confirmantur.

QUamvis hucuſque tradita rem ita ſe habere nobis ſuadeant, fateamur tamen oportet, deceptos veri ſpecie in errorem ſæpiſſime nos incidiſſe ex inopportunè adhibita China china in hiſce febribus. At rerum uſus nos docuit, ab hac, ceu infido, & noxio remedio, manum retrahere, neque illis aurem præbere, qui hanc pleno ore exaggerant: liceat igitur, dictorum confirmandorum gratia, eo, qui probum virum decet, animi candore, & ea ſimplicitate aliquot ægrorum hac febre laborantium hiſtorias in medium adducere, ex quibus pateant infortunia, quæ nobis contigerint ex adhibito cortice, ſimulque methodus, qua ceteris feliciore, quantum nobis conſtitit, harumce febrium curationem ſuſceperimus. Sint itaque

HISTORIA PRIMA.

BAjulus Johannes Brunet Taurinenſis temperamento præditus ſanguineo-bilioſo, viribus conſtans, quum per quinquennium optima valetudine frueretur, die vigeſimaſexta Aprilis anno 1771. rigoribus per univerſum corpus prehenditur cum gravativo capitis dolore, ſummaque, at irrita ad vomendum proclivitate. Nullum petens auxilium noctem domi tranſegit inſomnem: ſequenti die febris cum delirio accedit. Veſpere Noſocomium advehitur aphonus: in morbi cauſam proximam ſcrupuloſa indagine intenti enormem hypochondriorum tenſionem notavimus, linguam aridam, exſuccos dentes, arteriarum motus debiles, contractos, modo inæquales, modo celeres, & minutos una cum frequentibus tendinum ſubſultibus: alvus a triduo compreſſa erat: hoc in rerum ſtatu ad Ipecacuanham extemplo confugimus, injecto primum clyſmate ex vino emetico, & emolliente decocto parato. Mirum dictu quanta bilis mucoſæ ſature flavæ copia ſuſque, deque excuſſa fit intra bihorium: hinc mens ægro rediit, loquendi facultas, pulſus elatiores evaſere, magis ordinati: verbo, in melius cedere omnia viſa ſunt: tertiam, quartam, quintam, ſextamque morbi diem non abſque mediocri levamine tranſegit æger, perſeverantibus ſummo cum emolumento alvinis evacuationibus: jam vero dum ægri rem in vado conſtitutam opinamur, ſeptimam diem turbat vehementiſſima febris; calor

ad

ad tactum urens hanc comitantur, tuſſis moleſtiſſima una cum ſputis viridibus, anxia, & laborioſa reſpiratio cum omnimoda alvi occluſione. His ut occurreremus, laxantibus adjunximus diluentia, ſubacida, nitroſa: horum prudenti uſu alvum compreſſam revocavimus, ſuccedente notabili omnium conjunctorum remiſſione. Undecima die vix febris reliquiæ ſuperſunt, *anachatarſis* libera evadit, concoctionis ſigna in urina, & ſputis obſervantur, morbumque decimaquarta die perfecte judicatum exiſtimamus, quum pulſus, ceteræque corporis functiones rite ſuccederent. Intra hebdomadam cibis exquiſitis, & vino generoſo reſumit æger vires, jamque in lecto ſedendi facultas ipſi conceditur. Inopinata febre iterum corripitur, cujus initium eſt frigus ad duas, & ultra horas extenſum, huic ſuccedit immanis calor, hicque in profuſum definit ſudorem, urinæ lateritiæ apparent. Hæc ſane, attenta morbi prægreſſi indole, attentaque cæli tempeſtate, ſuſpicionem moverunt febris periodicæ; at cunctando rem confirmavimus: tertia ſiquidem a novo acceſſu die redit febris eadem hora, iiſdemque ſtipata ſymptomatibus: qua de re ne æger ex primo morbo confectus ſecunda hac febre in dies magis debilitaretur, opportunum duximus, nulla interjecta mora, ad Chinam chinam confugere. Hæc igitur debita doſi prudenti rhabarbari quantitate commixta declinationis tempore juſſa eſt; curavimuſque, ut unciam unam ſumeret æger ante recurſum tertii *paroxysmi*. Quid plura? Etiamſi

convenientes evacuationes æger obtinuerit ab assumpto remedio, exasperatur denuo febris, & nulla servata periodo, in continuam acutam mutata est: hujus conjuncta erant acutus capitis dolor, anhela respiratio, ad soporem proclivitas, sitis ardens, sputa crocea sangnineis striis notata, abdominis elatio tympanica, quodque plurimum faceſſebat negotii, pulsus debillimi, & inæquales. Hæc morbi mutatio nos docuit, inopportunum, quin immo noxium esse *febrifugum*, quumque ex omnium symptomatum collectione manifestum esset, ad *stasim* tendere humores, adque pectus, & caput irruptionem facere materiem morbosam, nulli dubitavimus, quin iis remediis uteremur, quibus a capite, & pectore quantocius revelleretur quod morbosum erat, dein fera humorum, potissimumque bilis acredo corrigeretur: quam ob rem ad vesicantia confugimus occipiti, & coxis applicita, tum ad succos saponaceos, potionesque subacidas, non neglectis emollientibus clysteribus. Hisce effectum est, ut intra biduum remissior febris evaserit, liberior respiratio, pulsus elatior, magisque æqualis: mira siquidem fuit epispasticorum actio, neque mediocrem contulere opem clysteres. Alvo siquidem his prudenter sollicitata, detumuit imus venter, & sputa in albida mere mucosa, & viscida mutata sunt. Ad decimamseptimam morbi diem solo *alterantium* usu perventum est, qua pulsus, urina, quæ primum flammea erat, omnesque corporis functiones rite se habebant: neque desiderabatur pacatus somnus:

rebus

rebus ita ſe habentibus remediis valediximus, hiſque panatellam ſubſtituimus cum modico vini generoſi. At dum debillimæ ægri vires in dies magis reparantur idoneo victu, quis crederet, latere adhuc anguem in herba, ſeque prodere die morbi vigeſimanona ſævioribus ſtipatum conjunctis. Febris namque vehementiſſima ſuſcitatur, nauſea, vomendi conatus, animi deliquia ægrum torquent, & quod deterius fuit, paucas poſt horas numeroſiſſimæ petechiæ pectus obſident, dorſum, internam brachiorum faciem, & lumbos: hæc omnia intra bihorium excipiuntur ab imi ventris torminibus, ejuſque tenſione tympanica. Præſentanea remedia fuere clyſteres primum emollientes, dein blande irritantes, nec non temperata cardiaca: quumque ſordes primarum viarum ne dum memorata ſatis indicarent, ſed has confirmaret lingua muco obducta, nec non felleus, juxta ægri relatum, oris guſtus, oleum recenter expreſſum ex ſemine lini juſſum eſt, cujus adminiculo, quanta fœtentiſſimæ bilis copia educta ſit, vix dici poteſt, vixque credibile, quantam educere perrexerint repetiti clyſteres, & purgantia ſubacida ad triduum prudenti doſi iterata. Poſt hæc herbarum aceſcentium, & ſaponacearum ſuccis uſi ſumus, quorum ope obtinuimus, ut brevi evanuerint petechiæ, & ſenſim, ſenſimque conſtans valetudo redierit.

HISTORIA II.

QUantæ ſit efficaciæ in ſynochis putribus China china, patebit ex hiſtoria Virginis Catharinæ De-Michelis Cuneenſis a multis annis Taurini degentis. Virgo hæc temperamento ſanguineo prædita ad vigeſimumprimum ætatis annum pervenit prorſus inſcia cujuslibet morbi. Stato tempore purgatio menſtrua prodiit, neque unquam defuit. A die Julii vigeſima anno 1772. ad vigeſimamſextam, qua Xenodochium excepta fuit, duplicem febris acceſſum ſingulis diebus, mane ſcilicet mitiorem, ſæviorem veſpertinis horis paſſa eſt. Ne vero minus fortaſſe legitima ægræ relatio (quod penes vulgum ſæpiſſime evenit) nos falleret, ſuſpenſo pede inceſſimus, morbumque propria obſervatione per biduum confirmavimus. Et ſane diluculo frigore corripiebatur ad duas, & ultra horas protracto: hoc excipiebat calor in ſudorem circa meridiem deſinens copioſiſſimum: hora quinta pomeridiana intolerabile iterum frigus ægram torquebat ad quinque horas perdurans: huic ſuccedebat immanis calor cum ſopore, vaniloquio, floccorum, & feſtucarum collectione: conjuncta hæc, multa nocte, evaneſcebant, adventante profuſiſſimo ſudore. Tertia die haud diſſimilem febris reditum notavimus. Quum igitur (ut cum ſanioribus loquamur) duas eſſe tertianas meridiana luce clarius nobis conſtaret, quumque ſymptomata ſecundæ febris quidpiam pernicioſi genii indicarent, tuto, & cum ratione Chi-

nam

nam chinam ægræ præſcribendam fore decrevimus. Hujus rite præparatæ drachmas ſex cum quatuor rhabarbari ſcrupulis curavimus ut ſumeret ægra inter declinationem ſecundæ acceſſionis, & recurſum primæ. Nullum ab hac doſi cœpit emolumentum ægrota: ſtata namque die eadem hora, iiſdemque conjunctis rediere tertianæ: nos tamen cortici adhuc inhærendum credidimus experientia freti, ſuum ſæpiſſime non edere effectum Chinam chinam, niſi integra hujus uncia ingeſta fuerit: debito proptera tempore, neque diſſimili quantitate pro altera vice *febrifugum* præſcriptum eſt. Utinam expectationi reſpondiſſet eventus. A præſcripta ſecunda remedii doſe faciem mutavit febris in continuam abeuns: ſopori lethargus ſubrepſit; calor acerrimus, abdominis, & hypochondriorum tenſio, anxia, & rara reſpiratio, tremuli, & debiles arteriarum motus, tendinum ſubſultus, univerſi corporis rigiditas, urinæ defectus, alvique omnimoda compreſſio febrim comitabantur. Hæc morbi mutatio nos cautos fecit, ne in uſu remedii ne dum inopportuni, ſed evidenter noxii inſiſteremus: quam ob rem ad ea, quæ & vitales functiones erigere, humorumque acredinem emendare, debitaſque ſecretiones, excretioneſque promovere poſſent, mentem convertimus. Veſicantia illico admota ſunt cervici, & femoribus: alteri indicationi fecere ſatis remedia ſubacida antiſepticis moderate aromaticis ſociata, puta, extractum acetoſæ, ſal acetoſellæ, roob ſambuci cum aliquot ſerpentariæ

riæ virginianæ granis; potio communis fuit dilutus mali medici ſuccus affatim bibendus: fotus externi ex poſca parati, & emollientes clyſteres pro re nata iterati non mediocrem contulere opem alvo, lotioque ciendis. Dum quarta a ſecunda febre die melior ægræ conditio nobis videbatur, petechiæ ſat latæ prodeunt in dorſo, lumbis, coxis, perque internam brachiorum ſuperficiem copioſiſſimæ. Facies liveſcit, & extrema frigent. Hoc in rerum ſtatu ut ſæviens magis cauſa morboſa compeſceretur, memorato regimini adjecimus guttas aliquot ſpiritus dulcis vitrioli, eodemque tempore temperatas aquas cardiacas, aquam ſcilicet theriacalem frigidam, aquam meliſſæ: tertia, quarta, ad nonam uſque occurrimus hiſce remediis cauſæ proximæ morbi; qua die concoctionis ſigna notare cœpimus in urinis, inque alvi fœcibus: pulſus mollior, obortuſque univerſalis ſudor craſſus, & fœtidus nihil movendum nobis ſuadebant. Sequenti die, nempe morbi decima febris increſcit, reſpiratio fit magis anxia, loco ſtare neſcit ægrotans: nos rati *epiphenomena* hæc perturbationi criticæ tribuenda eſſe, attentis pridie coctionis ſignis, ſalutaribus ſapientiſſimæ Naturæ motubus opus commiſimus, nil prorſus a memorata methodo declinantes. Haud noſtram expectationem fefellit eventus: nocte ſiquidem ejuſdem diei copioſiſſima oboritur diarrhæa, hæc ad biduum perdurat, & decimaſeptima morbus perfecte judicatur.

HISTO-

HISTORIA III.

NEque diverſum ſortitus eſt exitum morbus Felicis Antonii Rejnè ab Oppido Carrù eodem tempore in Noſocomio decumbentis, cujus hiſtoriæ non pigeat benevolum lectorem. Hebdomada, & ultra excurrebat, qua æger laſſitudinibus torquebatur, potiſſimumque hemicrania, cui a multis jam annis ſæpiſſime intra menſem ſe obnoxium eſſe fatebatur: interea vero ſe a febre immunem ratus nullam, de more vulgi, quæſivit medicam opem: biduo poſt inopinata febre correptus, frequentibuſque, & diriſſimis ad vomendum conatibus vexatus Noſocomium adiit: juxta ægri relatum vehementiſſimum frigus ad duas, & ultra horas protractum initium dedit febri, cui mordax ſucceſſit æſtus in ſudorem deſinens copioſiſſimum: oris amaror aderat, ad vomendum proclivitas, pulſus non mediocrem virium debilitatem palam faciebat, palliduſque faciei color, & difficilis ſpiritus hanc confirmabant: neque deerant imi ventris tormina cum aliqua hypochondriorum tenſione. Febrem hanc ceu periodicam rati credidimus eam rationalem extemplo fore medicinam, qua ſordes in primis viis nimiæ expurgarentur, ut nimirum ſi febris rediret, quum nulla tactui ſe obviam fieret, aut præſumi poſſet in abdominis viſceribus congeſtio, liber pateret aditus remedio *antipyretico*: doſis propterea conveniens radicis braſilienſis præſcripta eſt, qua enormem fœtidiſſimæ materiei copiam per vomitum,

perque alvum eduximus. Craſtina die ægrum viſitavimus a febre liberum cum notabili virium reparatione, & integra dictorum conjunctorum ceſſatione. Pulſus enim ſat conſtans explorabatur, vires firmiores rediere, molliora facta ſunt hipochondria, & facilis erat ſpirandi facultas. Tertia a primo febris inſultu die eadem hora acerrimum denuo frigus ægrum invadit, cui urens ſucceſſit calor, quem comitabantur acutiſſimus capitis dolor, hinc delirium, pulſus durus, inæqualis, frequens, & admodum celer, ſublimis anhelitus, facies flammeo-livida: adde tuſſim moleſtiſſimam, ſitim inexplebilem, & dolorem ſiniſtrum latus occupantem inter quintam, ſextamque coſtas veras acutum adeo, ut in ipſum decumbere præ nimia hujus feritate æger non poſſet. Mehercle in ancipiti verſabamur de conſilio capiendo. A febris enim reditu, ejuſque *anomalis* conjunctis pernicioſi quidpiam latere probabilis, & experientiæ conſona videbatur conjectura: at non levia pectoris incommoda de inflammationis metu nos fecere ſollicitos. Quam ob rem hoc in rerum ſtatu ceteris remediis prudentiorem, tutioremque venæ ſectionem eſſe ſtatuimus, qua inflammationi, vel jam natæ, aut futuræ ſtrenue occurreremus: hanc in brachio prudenti manu celebrandam juſſimus, eodemque tempore demulcendi ſcopo emulſionem ſyrupo diacodii edulcoratam præſcripſimus, nec non potiones aperientes nitratas copioſe ſumendas: eductus ſanguis a naturali *craſi* vix abludebat: hiſce remediis factum eſt,

ut

ut lateris dolor penitus evanuerit, reſpiratio libera evaſerit cum notabili ſymptomatum omnium remiſſione, quodque caput erat, vix ſupereſſent febris reliquiæ. Jam vero ſubita hæc morbi mutatio ne dum cunctationi rem committendam eſſe aperte nos monuit ſed in ea, quam primo concepimus, febris pernicioſæ opinionem confirmavit. Et ſane eventus intra nycthemeri ſpatium morbi genium aperuit. Eadem namque hora, iiſdemque ſtipata phœnomenis recurrit febris, tantaque cum pernicie, ut nulli dubitaverimus, quin ad Chinam chinam, ceu ad ſacram anchoram confugeremus: hanc larga doſi declinationis tempore cum debita rhabarbari quantitate juſſimus, curavimuſque, ut integra uncia (quod obtinuimus) ante reditus quarti circuitus ingeſta foret. Poſtera die nos omne tuliſſe punctum credidimus. Ad *apyrexiam* enim pervenit febris, evanidis prorſus memoratis ſymptomatibus; ſexies alvum depoſuit æger cum copioſa in urinis materiei morboſæ ſeparatione: per triduum res proſpera ægro fuit, perque hoc tempus, ut in dies magis confirmaretur ægri valetudo, refracta *febrifugi* doſis quotidie continuata eſt. Quid plura? Dum in vado ægrum conſtitutum credimus, febris denuo nullo prævio rigore, aut frigore ægrotantem adoritur una cum vomitu bilis viridis, & fœtidiſſimæ, acerrimis imi ventris morſibus, pulſu tardo, & raro, vixque manum feriente, ſumma virium debilitate, & frequentiſſimis tendinum ſubſultibus: ſitis erat intenſa admodum, & dentes adeo exſucci,

ſucci, ut hos inter, & oſſa ab aëre exſiccata vix intercederet diſcrimen: accedebat tympanica imi ventris, & hypochondriorum elatio: prima fronte ægrum in pernicioſam febrem relapſum putavimus, minimeque ambegimus, quin ad Chinam chinam recurrendum nobis eſſet ceu experientia edoctis ſæpiſſime fieri, ut non radicitus prima vice ſubactus remedii ope harumce febrium morboſus fomes recurſibus facilem præbeat occaſionem: neque nos ab hac opinione ſemovit evanidum frigus: error enim illorum eſt, qui inter varia febris periodicæ conjuncta a præſentia, vel abſentia frigoris *diagnoſim* febrium periodo recurrentium inſtituendam eſſe contendunt; obſervationibus ſiquidem quotidianis conſtat, innumeras eſſe febres hujuſce generis abſque ullo vel minimo frigoris, aut horripilationum ſenſu, & tamen cenſui periodicarum febrium jure a ſanioribus adſcribi. At eo redeamus, unde diſceſſimus. Non diſſimili propterea remedii quantitate intra duodecim horarum ſpatium ingeſta conſultum eſt. At nos feliciores, ſi huic ſuperſedendum eſſe credidiſſemus. Repente enim febris acuitur, frequentiores evadunt ſpaſmodici tendinum motus, brevis fit, & ſublimis reſpiratio, notabilem duritiem aſſequitur pulſus, teneſmus cum alvi occluſione torquet ægrotum: quam ob rem in ſententiam venimus nobis agendum eſſe cum febre ſubdola, cujus cauſa proxima ab illa non abluderet, quæ primis morbi diebus pectus obſedit; hancque, rite perpenſis natura morbi

hujus conjunctis, & evacuationibus, in perversæ bilis indolem jure refundi debere putavimus. Tribus igitur indicationibus, cito, & tuto faciendum esse satis decrevimus: primæ prudenti sanguinis missione, atque clysteribus emollientibus, fotubusque ex posca paratis abdomini impositis, quibus ne dum obsequiosa, quoad fieri posset, redderetur alvus, sed ab imi ventris viscеribus inflammationis metus, si quæ fieri poterat, præcaveretur: alteri, & tertiæ iis remediis, quorum ope, & acerrima bilis contineretur, simulque per convenientes vias blande expungi posset: quapropter celebrata e talo sanguinis missione, potio purgans antiphlogistica ex pulpa cassiæ, & tamarindorum data est, cujus ope multa sordium tenacium, fœtidarumque quantitas educta est; quin imo alvi fluxus obortus est ita, ut vigesies, & ultra intra biduum alvum deposuerit ægrotans: interea succos subacidos, & temperantes in usum vocavimus, singuloque mane, ne alvus constiparetur, serum lactis pulpa tamarindorum alteratum ægro offerebatur. Dies adventat morbi quinta, qua omnia in melius vertuntur; sexta, septima, & octava non minus prosperæ succedunt: hinc nulla regiminis mutatio facta est: die decima obscurus sopor occupat infirmum, mox delirium cum vehementiore febre: hæc pro criticæ perturbationis prænunciis haberi fortasse potuissent: at pulsus durities, urinæ tenues, & alvi occlusio contrarium suadebant; potius a bile ceu corruptioni admodum obnoxia,

xia, quæ primum abdominis viſcera laceſſebat, tentari caput, ab hacque per ſanguineas oberrante vias motus febriles, & duritiem pulſuum pendere dijudicavimus: veſicans propterea cervici admotum eſt, quo materies a ſenſorio communi breviori via educeretur; poſtea clyſteribus alvus ſollicitata eſt, quibus a ſuperioribus partibus, univerſoque corpore, quod morboſum erat, ad inteſtina alliceretur. Reliquum curationis fecerunt remedia ſubacida. Decimaquarta morbi die ſui compos fit æger, at febris exaſperatur, & decimaquinta numero multæ ſat latæ petechiæ dorſum brachia, femora, lumboſque obſident. Memoratis ſuccis ſpiritum vitrioli adjecimus, proque potu citream potionem. Hiſce ſubſidiis factum eſt, ut vitiata bilis, quantum licuit, ſubacta per alvi vias copioſa eliminaretur, & ſenſim, ſenſimque evaneſcerent papulæ. Vigeſimaprima, miſſis remediis, debilimas ægri vires cibis *eupeptis*, & prudenti vini meri uſu reparandas ſategimus. Brevi convaluit æger, firmamque adeptus eſt ſanitatem.

HISTORIA IV.

JOſeph Serafino Taurinenſis Cauponæ famulus die ſeptima Junii anno 1772. in Noſocomium receptus eſt febre detentus. Temperamenti erat ſanguinei, athletico præditus corpore decimumſeptimum ætatis annum natus. A quatuor diebus male ſe ſe habere teſtabatur, ſinguloque mane horrore primum, dein frigore pre-

prehendi affirmabat, poſtea calore acerrimo in largiſſimum ſudorem deſinente. De oris amarore, & imi ventris torminibus conquerebatur: renitens ad tactum abdomen erat, frequentes vomendi conatus, & gravedo ægrum torquebant. Clyſteres emollientes, & aqua theriacalis frigida cochleatim ſumenda primordia fuere curationis noſtræ. Interea quum ſequenti die non diſſimilem ab ægri relatu recurſum febris notaverimus, cum febris, tum ſymptomatum ratione e re putavimus, materiem in primis viis nimiam potione cathartica extrudere, qua præmiſſa, ſi opus foret, tutior eſſet corticis peruviani uſus. Decoctum *catholicum* purgans, addita ſalis cathartici uncia ſemiſſe, multam viſcidorum humorum, & bilis copiam evacuavit, emendavitque oris amaritiem, & abdominis dolores: ſequentem diem bene tranſegit æger omnino a febre vacuus: craſtina recurrit febris horrore, & frigore inſolito, cui ſuccedit vehemens calor, & in declinatione de more tertianarum copioſiſſimus ſudor: addamus tempore febris memoratis conjunctis vaniloquia, motus arteriarum ſpaſmodicos, ſoporem ad multas horas. Quæ cum ita eſſent, veriti, ne pernicioſus febris genius evaderet, cito citius ad Chinam chinam confugimus: ſex itaque drachmæ Chinæ chinæ una cum drachma ſemiſſe rhabarbari decem horarum ſpatio ſumendæ præſcriptæ ſunt: evacuationes cum per alvum, tum per urinæ vias obortæ ſunt: nihilo tamen ſecius ſtata die recurrit febris, at mitior: hinc factum

eſt

eſt, ut a prima doſi refractam febrim penitus devictam iri crediderimus, eadem repetita: ab hac obtinuimus, ut ex legitima tertiana in continuam abierit febris gravibus ſtipata ſymptomatibus: anxia enim reſpiratio, profundus ſopor, tympanica abdominis elatio, tendinum ſubſultus, minutus, debillimus arteriarum motus, luridus faciei color, extremorum perfrigeratio cum alvo occluſa argumentum ſane præbebant certiſſimum a peruviano cortice, ceu ſubſtyptica vi donato motus febriles ſuffocatos fuiſſe, quibus ſapiens Natura vel ſola, vel opportunis remediis aperientibus adjuta miaſma morboſum per ſanguineas oberrans vias aut per alvum, aut urinas, perve cutis ſpiracula eliminaviſſet: neque difficilis explicatu res erit, quonam modo ex perturbatis ſalutaribus Naturæ motubus oſcillationes arteriarum ſubvertantur ab acri retento *ſeptico* principio, nervi ad inordinatas vibrationes concitentur, & irritationes, palpitatio, tendinum ſubſultus naſcantur: tum ſpirandi difficultas, & ſopor, ad pectus, vel caput irruptione facta. Cur a fluente alvo, aut urina, vel ſudore hæc evaneſcunt? Cur horum reditus, aut exacerbatio compreſſis a cortice his evacuationibus? Id pluries notare mihi contigit, quod ſe expertum eſſe teſtatur Tiſſot in epidemica febre bilioſa Lauſannenſi: at eo redeat, unde diſceſſit, hiſtoria. Habita igitur febris, ſymptomatum, ætatis, temperamenti ratione, miſſio ſanguinis ex pede celebrata eſt, & decocto cichorei, ac camædrios, quod ab initio ſumebat æger, ſubſti-

ſtituimus potionem ſubacidam ex acetoſa paratam: neque hac contenti expreſſum ejuſdem herbæ ſuccum ad plures uncias mane, & veſpere juſſimus: eductus vix cohærens ſanguis in horum ſtrenuo uſu cum additione guttarum aliquot ſpiritus dulcis vitrioli nos confirmavit; neque clyſteres emollientes omiſimus, & fotus abdomini impoſitos. Intra biduum remiſere omnia cum ratione: alvus ſiquidem moderata fluxit, & ſatis copioſam, craſſioremque urinam obſervavimus: pulſus ex minuto, & debillimo amplior evaſit, & fortior, liberior ſpirandi facultas, nullus amplius ſopor erat, neque tendinum ſubſultus. At oris amarities, ad vomendum conatus prodiere cum ſordidiore lingua, & aliquą hypocondriorum, ac abdominis tenſione: hiſce probe conſideratis, Ipecacuanha præſcripta eſt, ut, quæ in primis viis ſordes ſupererant, illico excuterentur: effectus voto reſpondit; multam namque muci, & bilis copiam evomuit æger, plurieſque alvum depoſuit. Septima a febris continuæ exortu die dum rem in melius ceſſuram credimus ſub uſu non interrupto remediorum ſubacidorum, tot, tantæque extemplo oboriuntur turbæ, ut mortem fores pulſare non dubitaverimus. Facies enim atro-pallida fit, extrema frigent marmoris adinſtar, ſublimis fit reſpiratio, pulſus *aſphyxiæ* proprius: feſtucas, & floccos colligit æger, mox delirans evadit, & tremor concutit univerſas corporis partes: ex his quum univerſalis humorum *ſtaſis* facile præſumi poſſet, & peſſumdatum ſolidorum robur, nil promptius,

nilque magis indicatum rati ſumus iis remediis, quibus ſolidorum vires, quo citius fieri poſſet, erigerentur, humorumque inertia emendaretur. Hiſce ut faceremus ſatis indicationibus, veſicantia ſelegimus occipiti, femoribuſque admovenda, dein mixturam concinnavimus ex aqua meliſſæ, theriacali frigida, extracto ſcordii, & radice ſerpentariæ virginianæ ſingulo trihorio repetendam: frictiones quoque, & fotus plantis pedum pro primo ſcopo adhibita ſunt. Mire profecit æger ſub horum remediorum uſu: fatiſcentes enim Naturæ vires ſenſim, ſenſimque revocatæ ſunt, evanuit hypochondriorum tenſio, pulſus magis ordinati vividius digitos feriebant, febris, quæ fere evanuit, rediit debitis circumſcripta limitibus, molliſque facta eſt cutis primum aridiſſima; rebus ita ſe habentibus omnis curationis cardo poſitus eſt in procuranda veſicantium ſuppuratione, in ſubacidis, nec non antiſepticis aromaticis, quibus fera humorum *diatheſis* in dies magis corrigeretur, non neglectis pro re nata clyſteribus emollientibus. Vigeſima apparuit dies, qua perfecta morboſi humoris evacuatio obtenta eſt, febriſque evanuit ſequenti die: at quum noctes inſomniis turbatæ eſſent, ſimulque dolor ad ſcrobiculum cordis ægrum affligeret, paregoricum hora ſomni datum eſt, & vino generoſo, cibiſque eupeptis æger intra menſem probe reſtitutus domeſticos adivit lares.

HISTO-

HISTORIA V.

ANcilla Margarita Buſſan e Piobeſi corpore athletico donata in Noſocomium admittitur die decima Auguſti 1774. Hæc de laſſitudine quadam ſpontanea a pluribus diebus conqueritur, & noctes inſomniis horrificis turbatas refert: nec ſe probe ſcire fatetur, utrum febre jam laboraverit, necne: at vultus lineamenta, quorum a Clinicis attenta ratio perpetuo habenda eſt in morborum ineundis curationibus, quidpiam latere ſignificabāt. Et ſane circa veſperam ſubito prehenditur frigore ad duas horas extenſo, dein calor ſuccedit, quo declinante, ſudor emerſit copioſiſſimus. Capitis, & ſcrobiculi ſenſus dolorem creans, urinæ lateritiæ erant febris ſymptomata: proximam diem ne minimum quidem febris indicium turbavit: tertia a primo inſultu die recurrit eadem hora, iiſdemque ſymptomatibus, & pari paſſu in declinationem abit. Quum, uti conſtat, de legitima tertiana ageretur, quumque nulla plethoræ ſigna forent, rite fluentibus ſtato tempore menſtruis, purgans ex electuario lenitivo, & rhabarbaro die a febre vacuo præſcriptum eſt, quod ſex alvum movit: dein, quum febris, ejuſque ſymptomata modum non excederent, ſolo ſucco cichorei contenti fuimus, conſilio Hippocratico freti, intra ſeptem circuitus plerumque ſolvi febres legitimas tertianas. At proceſſit febris, & jam decimus numerabatur febris recurſus. Qua de re, ne ex repetitis acceſſibus ægra debilitare-

tur, & viſcerum congeſtionibus (quod uſu venit) fieret locus, Chinam chinam de more noſtro præſcripſimus: ab aſſumpto remedio melius ſe habet ægra, mitiorque redit undecima acceſſio: hinc febrem prorſus depulſam iri credidimus, eadem doſi, & ſimili modo repetita. Spe vero decepti fuimus: ex periodica enim continua evadit febris inſolitis ſtipata ſymptomatibus, gravi nempe reſpiratione, inquietudine, vaniloquio, triſmo cynico, intenſiſſimo calore, alvi adſtrictione, notabili ardoris ſenſu in urina, quæ ex lateritio cryſtallinum colorem cum filamentis innatantibus adepta eſt, & pulſu contracto cum notabili frequentia, & celeritate. Subita hæc morbi mutatio cautos nos fecit a *febrifugo*, nec ambegimus, quin febrem hanc ad ſynochorum putrium ab aliquo tempore graſſantium claſſem pertineret. Habita itaque febris, nec non æſtus intenſi, pectoris anguſtiæ, & perturbationis ſenſorii communis ratione, ſanguis e talo miſſus eſt cum ægræ levamine; capitis enim dolor, anxietas, & ſpaſmodici motus aliquantulum remiſere: extractus ſanguis multam ſeri lutei copiam exhibuit, vixque cohærentem partem cruoroſam: pro remediis internis decoctum juſſimus ex endivia, & acetoſa paratum: ſecunda continuæ febris die pulſus concidunt, icterica evadit ægra: accedunt oris amaror, vomitus, imi ventris tormina, parcior urina, alvique interniſſio: ſingula hæc cum redundantis materiæ in primis viis, tum in ſanguineo latice non æquivoca

ſigna

ſigna ad emeticam in primis potionem nobis familiarem (Ipecacuanham ſcilicet, in quam Medici præ ceteris, quæ Chymia ſuppeditat, remediis vomitoriis tutius habent imperium) nos adduxerunt, dein ad remedia ſubacida, diluentia, & aperientia, quibus & degeneri humorum *diatheſi* obviam iri poſſet. Ab Ipecacuanha multas obtinuimus per os, perque ſedem evacuationes bilis porraceæ, fœtidæ, mucique denſiſſimi: ex ſuccuſſa materie elatior prodiit pulſus, evanuere ventris tormina, rediitque mingendi facilitas. Sic, quæ redundabant in primis viis, evacuatis ſordibus, ſubacida, & temperantia in uſum vocavimus, ſuccum nempe acetoſæ endiviæ cum aliqua doſi ſalis eſſentialis acetoſellæ; hæc medendi ratio ad octavam morbi diem continuata eſt, injectis juxta opportunitatem clyſteribus emollientibus. Die nona, nullo præcedente errore in ſex rebus non naturalibus, in gravius periculum ægra labitur: marmoreo ſiquidem premitur frigore per univerſum corpus, ſtertore; pulſus exilis evadit, vix febris percipitur, quodque pejus, numeroſiſſimæ petechiæ latera colli, ſternum, brachia, lumbos, & femora occupant cum interſperſis puſtulis, quas, ſi cum multis loquamur, miliares, ſudamina ſi cum ſanioribus ex acri, ac pene cauſtica humorum indole nata appellabimus. Lenteſcenti humorum progreſſui ſuſcitando, liberandiſque vitalibus functionibus veſicantia coxis applicita ſunt, & ſiccæ cucurbitulæ dorſo. His vividior obtenta eſt humorum in orbem actio,

ex procurata in nervoso systemate irritatione, frigori marmoreo subrepsere, quæ exoptabamus febris, & calor debitis circumscripta limitibus. Vesicantium actio mire contulit liberiori respirationi. Dies decimam, undecimam, & duodecimam minus molestas transegit ægra sat bene ferens remedia subacida superius indicata: ad decimamquartam perventum est, qua magis, ut numquam antea, sævit morbus: incongrua enim, & desipientia loqui incipit ægra: mox furore capta oculis scintillantibus minas intendit; paullo post variis, & dissimilibus convulsionibus agitatur rarum trahens, & suspirioſum anhelitum: nares acutæ evadunt, vixque pulsus percipi potest, ne una quidem superstite papula. Porro quum in deterius hæc morbi mutatio satis aperte ostenderet, acerrimum virus, quod vitalia viscera, nervosque impetebat, nil efficacius, præsentius nihil visum est illis præsidiis, quibus illud quantocius succuteretur, inque circulationem actum, si datum foret, per convenientia loca eliminaretur. In subsidium igitur revocatæ sunt cucurbitulæ, clysteribus paullo irritantibus alvus sollicitata est, & sedandis convulsionibus aquam camæmeli, theriacalem frigidam, & liquorem C. C. succinatum selegimus. Mirum dictu quantum ab his profecerit ægrota: ad se rediit intra quadrihorium pacato animo, convulsiones disparuere, nec sine ratione: moderata siquidem oborta est diarrhæa, ex qua obrutæ Naturæ vires paullisper erectæ blandum sudorem moverunt pellendis humoribus

ex

ex vaſis minimis cutaneis ad alvi, aut urinæ vias difficile regreſſuris idoneum. Haud variato regimine, ſi clyſteres excipiamus, proceſſimus per quatuor ſequentes dies, quo tempore coctionis ſigna in urinis adparuere, & ad vigeſimamprimam pervenimus, qua febris evanuit, omnibus functionibus ſecundum naturam ſe habentibus: quamobrem remediis valediximus virium defectui unice ſtudentes. Dum in dies reſumit vires ægrota, inopinato frigore corripitur, & more intermittentium ſtadia ſua percurrit nova febris: porro etiamſi initio morbi febris periodica apparuerit a genuina, & propria febrium intermittentium cauſa proxima nata, uti ex ſuperioribus conſtitit, nulli tamen dubitavimus juxta obſervationes, & experientiam, quoties de morborum complicatione agitur, quin, ſuperato acuto morbo, hæc, quæ initio veluti ſuffocata, ut ita dicam, fuit a graviori cauſa, ſe ſe iterum proderet veram intermittentem febrem producens: cunctatio conjecturam firmavit: tertia ſiquidem a novæ febris inſultu die febris redit eadem hora, iiſdemque ſymptomatibus: ergo una ſimul collatis prægreſſis, & præſentibus medicinam rationalem fore credidimus Chinam chinam, eo vel magis, quum de ſententia Pringle, & Huxham reſtituendis viribus ab acuto morbo fractis inter corroborantia non infimum locum teneat. Hanc debito modo, opportuno tempore, & æqua doſi propinavimus ægrotanti: qua factum eſt, ut tertia acceſſio, licet congruæ ſeparationes, uti ſentiunt

aliqui, præceſſerint, quatuor horis ſecundam anteverterit novis comitata ſymptomatibus, difficultate nempe ſpirandi, tuſſi, acuto capitis dolore: nondum his contenti, quum paſſim obſervarentur tunc temporis febres ſimplices intermittentes in pernicioſarum indolem degenerantes, ad alteram remedii doſim fidenti animo devenimus. Quantum hæc male ceſſerit, probavit pediſſequa febris continua facta una cum alvi, & urinæ omnimodo fere defectu, calore urente, & ſiti inextinguibili. Diluentibus remediis, temperantibus, & laxantibus vim quidem febris ſuperavimus, at præcavere datum non fuit labem pulmonum, ob quam intra duos menſes ad maraſmum perducta ægra interiit. Ex ſucceſſivis hiſce, & præcipuis morbi mutationibus ſatis, ni fallimur, conſtare videtur, utrum illorum opinioni fidendum adeo ſit, qui in ſynochis putribus Chinam chinam plurimi faciunt, ceu eximium, ac fere tutum remedium *antiſepticum.*

HISTORIA VI.

AD Margaritæ Sartoris hiſtoriam accedamus, quæ nocuum Chinæ chinæ uſum apertiſſime nobis confirmavit. Mulier hæc arte purgatrix ſat firmo corpore, & temperamento ſanguineo-bilioſo prædita, menſtruis ſtata periodo rite fluentibus, febre corripitur die vigeſima Septembris anno 1775. Ab horrore, fatente ipſa, dein vehementi frigore incœpit febris ad tres,

&

& ultra horas producto: poſtea urens ſucceſſit calor, quem poſtmodum moderavit copioſiſſimus ſudor. Sequenti die a febre immunis operibus domeſticis conſuetam operam dedit optime valens: tertia die eadem hora, eodemque ſervato tenore redit febris una cum gravedine, tuſſicula, & aliqua ſpirandi difficultate: ad Xenodochium delata eſt in incremento hujuſce acceſſionis: quo tempore amplum, & celerem pulſum notavimus, urinam lateritiam: verbo ea omnia conjuncta, quæ nullum prorſus de legitima febre tertiana dubitationi locum relinquebant. Pro potu communi juſſimus decoctum ex cichoreo, & camædrio paratum: interea ne fortaſſe febris, uti toties nobis contigit, fucum faceret, nihil movimus, donec tertius recurſus nos certiores redderet de peculiari febris natura: rediit ſane ſtato tempore, & legitimam eſſe febrem tertianam non dubitavimus. Quum igitur a biduo alvum non depoſuerit, de oris amaritie conquereretur ægra, lingua copioſo muco obducta foret, & ructus, imique ventris tormina ipſam fatigarent, præmiſſo emolliente clyſtere, potio catholica ſolutiva ad uncias octo præſcripta eſt, ex qua pluries alvus mota eſt: nihilo tamen ſecius quarta vice recurrit febris ceteris vehementior. Hac inſpecta, ad Chinam chinam, nulla interjecta mora, confugimus. De more noſtro drachmæ ſex cum drachma ſemiſſe rhabarbari ſpatio novem horarum ſumendæ præſcriptæ ſunt: quinquies alvum depoſuit ægra, urinæ ſedimento onuſtæ adparuere,

ruere, verbo, ſeparationis ſigna notata ſunt, febriſque evanuit. Sanitatis ægræ cofirmandæ cauſa per hebdomadam drachma una *febrifugi* ſingulo mane continuata eſt. Quid plura? Dum in vado conſtitutam ægram credimus, hancque miſſam facere a Noſocomio meditamur, febris vehementiſſima ipſam denuo adoritur, cujus initium comitabantur frigus acerbiſſimum, ſtridor dentium, unguium livor, pulſus contractus, præcordiorum anxietas, incrementum calor urens, ſuſpirioſa reſpiratio, pulſus inæqualis, celerrimus, ſitis inexplebilis, decrementum copioſiſſimus ſudor. Primæ febris genius hanc ceu relapſum eſſe paullo graviorem ſuadebat: quumque illam extemplo ceſſiſſe *febrifugo* notaverimus, nil præſtantius, nilque magis indicatum viſum eſt eodem repetito, ut hic fugaretur: quamobrem non abſimilis a prima vice remedii doſis juſſa eſt: ſequenti die tertiam tantum partem, quæ unciam abſolveret, præſcripſimus: veſpere hujuſce diei a febre vacui exſuſcitatur febris, nullo prævio rigore, nulloque frigore: calor mordax, obſcuri tendinum ſubſultus, morſus ſtomachi, hypochondriorum tenſio, vomendi ſtimulus hanc comitantur: poſtque irrita multa ad vomendum conamina bilem rejecit ægra perquam amaram, æruginoſam: hinc cardiæ dolor quodammodo quievit. Hæc rerum conditio de ſubdola morbi indole nos in ſuſpicionem adduxit: neque ancipitem ingreſſuros eſſe viam putavimus, ſi, poſthabito *febrifugo*, Naturæ motubus obſecundantes redundantis in primis viis materiei expul-

expulsionem tentaremus. Ipecacuanhæ scrupulum justimus, qua multum per superiora, & inferiora vitiatæ bilis evacuatum est, summo ægræ levamine. Quandoquidem pulsus ex inæquali, & debili ordinatus, & fortior evasit, liberior facta est respiratio, evanuit hypochondriorum tensio, & quod magis arrisit, per biduum absque alio artis adminiculo moderata fluxit alvus cum notabili febris imminutione. Interea vero etsi vitium bilis, & continua febris modum excedere non viderentur, satis, superque tamen nos edocebant, quidpiam adhuc in sanguinea via latere aut corrigendum, vel per convenientiora loca amandandum. Hisce ut fieret satis indicationibus, subacida, diluentia selegimus, succum nempe endiviæ, & acetosæ, decoctum graminis nitratum, potionem citream. Hac methodo quartam, quintam, & sextam a novæ febris ingressu diem pacatas transegit ægra. Septima die alvus adstringitur, febris increscit, redit præcordiorum anxietas, pulsus debillimus fit, quodque pejus, petechiæ nimium multæ notantur in sterno, brachiis, lumbis, & fœmoribus: urinæ fuscæ, & turbidæ observantur. De modo solliciti, quo diro huic morbo occurreremus, auspicato eventu a temperatis cardiacis exordium sumsimus juxta præceptum medicum, *primam indicationem esse vitalem.* Inter hæc selegimus aquam theriacalem frigidam, melissæ, & aliquot grana camphoræ: dein efficaciora antiseptica, quibus insolens, ac veluti caustica humorum indoles emendaretur, in usum voca-

vocavimus: nimirum ſerpentariam virginianam, ſcordium, & dulcem vitrioli ſpiritum: auſpicato inquam eventu. Horum ſiquidem ope pluries intra nyctemeri ſpatium repetitorum, & fotubus ex poſca paratis ventri impoſitis, & pro re nata injectis clyſteribus emollientibus, intra biduum diſparuere maculæ, vires vitales erectæ ſunt, & revocatæ alvinæ evacuationes: at unum ſupererat difficultate magis plenum, reſpiratio nempe gravis una cum tuſſi, & difficili excreatu tenacis materiei. Attenta horum conſideratio effecit, ut ab illorum opinione diſceſſerimus, qui veſicantia a morbis ex ſolutione humorum pendentibus excludere volunt; hæc namque femoribus applicita tres, & ultra libras, fatente Chirurgo, ſeri intenſe flavi eduxere: nobisque datum fuit obſervare hac in ægra præſentaneum emolumentum, quod ex ſinapiſmis notavit Tiſſot in epidemica febre bilioſa Lauſannenſi: ex his enim libera facta eſt reſpiratio, tuſſis, quæ ex ſtimulo naſcebatur, ea evaſit, quæ facili, & copioſæ *anachatarſi* locum dabat: addamus ex adaucta ab hoc ſtimulante, & corroborante remedio vaſorum firmitate blandum univerſalem ſudorem exortum eſſe; laudabilis veſicantium ſuppuratio ad plures dies continuavit: interea remedia diluentia, lenia ſubacida, cibus exquiſitus, & prudens vini optimi generoſi uſus eo rem perduxere, ut vigeſimaprima in ſanitatis campum ægra feliciter redierit.

HISTO-

HISTORIA VII.

NOn ita contigit ruricolæ Gulielmo Coſta a Claraſco ſexageſimum ætatis annum nato, temperamento prædito ſanguineo: infelix namque morbi exitus neque præſentanei remedii laudes mereri *febrifugum*, ut multi contendunt, neque prophylactici evicit: quin imo prorſus ipſum expungendum eſſe confirmavit. Et ſane intra menſis Aprilis anni 1777. curriculum legitima tertiana in Xenodochio laborans æger tres uncias peruviani corticis devoravit. A febre immunis hebdomadam tranſegit, dumque patrios adire lares, ceu bene ſe habens, novi aëris captandi gratia, meditatur, acuta febre corripitur cum acerrimo ſiniſtri lateris circa tertiam, quartamque coſtas veras doloris ſenſu; mox ſupervenium moleſta tuſſis, anxietas, reſpiratio brevis, inſignis virium defectus; pulſus erat plenus, & frequens cum flammeo faciei colore, æſtuque intenſiſſimo. Hanc ceu acutam pectoris febrim rati venam extemplo brachii tundendam juſſimus, nec non pro potu decoctum graminis nitratum; altera morbi die quum omnia increſcerent, potiſſimumque febris, & lateris dolor, etiamſi ætas, viriumque depreſſum robur mittendo ulterius ſanguini parcendum eſſe ſuaderent, nobis tamen ab altera phlebotomia temperare prohibuit morbi ſævities. Eductus utraque vice ſanguis vix naturalem ſervabat *craſim*, multæ ſeri intenſe flavi copiæ innatabat pars cruoroſa, hæcque dividenti cultro obſequioſa

quioſa admodum erat. Occluſa a biduo alvus mota eſt enemate emolliente, quo ſordium viridium quantitas multa educta eſt. Tertia morbi die febris remiſſior evadit, liberiorque ſpirandi facultas, & tuſſis ex ſicca in humidam mutatur cum faciliori luteorum ſputorum eductione: neque diſſimilis erat urinæ color: pulſus ex duro, & contracto mollior fit, & elatior. Porro etſi in melius verti ægri conditio nobis videretur, habita tamen diligenti conſtitutionis, quæ tunc temporis dominabatur, excretorumque, & ſanguineæ *craſis* ratione, ſolliciti fuimus de morbo perſonam mentiente, & de ſynocho potius putri a bile in corruptionem prona ortum ducente, quam de vera inflammatoria febre agi nobiſcum decrevimus: Succum propterea acetoſæ, & taraxaci ſelegimus, nec non aliquot uncias olei e lini ſeminibus recenter expreſſi, quo ne dum promoveretur ſputorum eductio, ſed alvus libera, quantum prudentia ſinebat, ſervaretur: factum hinc eſt, ut hiſce remediis, quod in votis erat, perbelle ſuccederet; prout enim copioſiora educebantur ſputa, perque alvum egerebatur materia morbum faciens, ſenſim ſenſimque febris remittebat, & breviſſimo tempore evanuit lateris dolor: conſequenter ſaponaceis ſuccis inhæſimus, nec non diluentibus, & aperientibus. Initio ſeptimæ diei nullo, uti nobis conſtitit, prægreſſo errore in uſu ſex rerum non naturalium febris, ut numquam antea, exaſperatur, tympanica ſe prodit abdominis elatio cum pulſu *aſphyxiæ* proprio; dein urinæ parcitas, & al-

vus occluſa notantur: facies liveſcit, ſubrepit ſtertor, verbo, ocyſſime ſuffocatum iri ægrotum pertimeſcimus. Inſolita hæc morbi mutatio a novo bilis inſultu repetenda eſſe nobis viſa eſt, ſtatuimuſque iis confeſtim pugnandum fore remediis, quæ & vires depreſſas, a functionibus vitalibus materiem morboſam revellendo, erigerent, & bilis malitiam partim infringerent, partim ad convenientia loca allicerent: has ob indicationes veſicantia femoribus admota ſunt, repetitum eſt oleum e ſemine lini, non intermiſſis ſubacidis, & diluentibus remediis ſuperius indicatis. Ab horum uſu non mediocrem fructum percepimus; craſtina ſiquidem die morbi octava cum ex laudabili humore, quem fundebant epiſpaſtica, tum a copioſis per alvum, perque urinæ vias evacuationibus rediit ægro facilis ſpiritus, deferbuit non parum febris, conſtantioreſque vires cum ex pulſu, tum ab univerſo corpore notare fas fuit. Neque aliter ſe res habuit ſequentibus diebus decima, undecima, & duodecima: at initio decimætertiæ ægrum viſitantes miramur faciem ictericam, tendinum ſubſultus exploramus, de doloribus per omnem corporis habitum conqueritur æger, deque incredibili virium lapſu; præter hæc confertiſſimæ ſe produnt petechiæ univerſam fere cutim deturpantes; quodque nos magis deterruit, ceſſatio fuit veſicantium, quam mali ominis ut plurimum eſſe teſtis eſt experientia. In peſſimo hoc rerum ſtatu nil efficacius, nilque rationi magis conſonum viſum eſt iis ſubſidiis, quæ, quo ci-

tius

tius fieri poſſet, *ſepticæ* humorum indoli efficaciter reſiſterent, ſimulque vires fere deperditas reſtaurarent. Quamobrem ſinapiſmos plantis pedum admovendos imperavimus, dein temperantibus, & diluentibus bolos ſuffecimus ſingulo trihorio iterandos ex extracto ſcordii, camphora, & radice ſerpentariæ virginianæ concinnatos, tum ſpiritum vitrioli dulcem ſcordii decocto dilutum pro potu: in præſto etiam fuere temperata cardiaca, puta aqua theriacalis frigida, aqua meliſſæ, aqua lactiginoſa cinnamomi, cetera. At ne vel minimum quidem ab hiſce emolumentum cœpit ægrotans, quin immo decimaquarta die primum convulſiones, poſtea veternus finem impoſuere ægroti vitæ.

HISTORIA VIII.

ALteram in medium adducimus exanthematicæ febris hiſtoriam, in qua ne dum irritam, ſed evidenter noxiam Chinam chinam experti fuimus. Catharina Negro Taurinenſis decimumnonum ætatis annum agens trium liberorum mater Noſocomium adivit die decimaquinta Auguſti anni 1777. Fluore albo ſe laborare affirmat duobus a menſibus, teſtaturque, ſe nullum antea paſſam fuiſſe morbum, præter ophtalmiam anno ſuperiori, quam unica miſſio ſanguinis, & ſerum lactis brevi fugarunt: pridie frigus in primis moleſtiſſimum ad multas horas durans, dein frigoris, caloriſque viciſſitudines perſenſiſſe ſubdit una cum gravedine, mo-

motubus ſpaſmodicis univerſum corpus, præcipue manus infeſtantibus. Quæ pro hiſce malis remedia adhibuerit, ſciſcitata, ſolam ex pede venæ ſectionem, ſuadente Medico, reſpondit. In diligentiorem cauſæ proximæ morbi diſquiſitionem intenti rati ſumus, perſeverantibus hiſce febris, quæ intra limites continebatur, ſymptomatibus, in cachexiam chloroticam illam refundi poſſe: præter enarrata conjecturam firmare videbantur pallidus faciei color, ſubtumidus corporis habitus, ſolidorum laxitas, pulſus debilis, minutus, celer, nec non hyſterica paſſio, & menſtruorum defectus: hinc decrevimus morbum iis eſſe oppugnandum remediis, quibus vitiata humorum *diatheſis* emendaretur, erigeretur debilitatum vaſorum robur, & ea, quæ a ſtatu naturali receſſerint, blande educerentur. Quum vero de oris amarore, nauſea conquereretur ægrotans, iis præmiſimus lene catharticum compoſitum ex gummi ammoniaco, & rhabarbaro: dein ad amara antiſpaſmodicis, & moderatis *emmenagogis* commixta gradum fecimus, inter quæ extractum cichorei, tanaceti, ſuccinum, & tartarum vitriolatum opportuniora viſa ſunt. Hanc medendi normam utilem experta eſt ægra, & intra hebdomadam, obtenta cum per alvum, tum per urinæ vias ſat copioſa morbidi fomitis eductione, roſeum in genis colorem reſumit cum pulſu vividiore, & ordinato. Res dum bene ſe habent, extemplo ſuſcitatur febris a frigore incipiens, cui ſuccedit calor vehemens, hicque in copioſiſſimum ſudorem terminatur;

urinæ, quæ enarrato morbi decurſu cryſtallinæ erant, in lateritias mutantur: ſequenti nocte placido indulget ſomno, mane, fatente ipſa, ſana expergiſcitur, & pacatiſſimam tranſigit diem: non ita evenit tertia die: iiſdem namque conjunctis febris recurrit, eademque hora: Mehercle exquiſitæ tertianæ diagnoſim inſtituimus, eo vel magis, quod tunc temporis, ſcilicet autumno, hæ febres dominarentur: ne igitur ex iteratis recurſibus in debilitatem laberetur ægra, ceu frequentiorem obſtructionum caufam, quas indocti, & imperiti uſui Chinæ chinæ adſcribunt, hanc juſſimus convenienti doſi ſumendam declinationis tempore. Ob debitam rhabarbari quantitatem ſexies alvum depoſuit, ſeparationem multam in urinis notavimus, ex quibus evacuationibus factum eſt, ut ſtata die redeuns febris duplo mitior prioribus fuerit. Qua de re *febrifugi* uſus continuatus eſt, febriſque evanuit. Quis vero crederet, rebus ita ſe habentibus, novam exoriri febrim ſubintrantium typum ſervantem? Hac non obſtante, quum experientia conſtet, morbos quandoque perſonam induere, & Medicum in errorem induci, ſi a qualibet morbi mutatione, nullo habito prægreſſorum examine, diverſam ineat curandi viam, *ſpecifico* inhæſimus, cogitantes ex eadem cauſa foveri hanc febrem. Larga igitur repetita eſt doſis Chinæ chinæ: at nos feliciores, ſi a diverſa morbi facie diverſum initum fuiſſet conſilium. Febris enim, quæ ſubintrantis genium prima fronte mentita eſt, in ſynochum putrem

de-

degenerat diris ſtipatam ſymptomatibus, reſpiratione ſublimi, pulſu, ut inquiunt, confuſo, tendinum ſubſultibus, facie apoplectica, acerrimo calore, ſiti inextinguibili, dyſuria, & alvi ſiccitate: quodque nos magis anxios reddidit, narium hæmorrhagia fuit cum elatione abdominis tympanica; his paullo poſt adjungitur riſus ſardonius. Hydræ huic ut obviam iremus, totam ſpem poſuimus in *eccoproticis* remediis, quibus urina, & alvus cierentur, nec non in cardiacis, & ſtimulantibus, quorum ope debiles ſolidorum vires erigerentur, inter quæ vesicantia, & temperate cardiaca, nec non ſubacida adhibuimus: Hæc præſto fuerunt, perque duos dies continuata non effecere, quin petechiæ brachia, dorſum, & lumbos occupaverint. His apparentibus, enarrata ſymptomata ſævierunt, vireſque cepit majores ſtillicidium ſanguinis e naribus colore loturam carnis vix æmulantis. Irrita fuerunt hæc præſidia, perquam inutilia acida mineralia: ægrotantis vitæ finem impoſuere convulſiones die undecima morbi acuti. Diſcant acerrimi Chinæ chinæ fautores ex brevi hac hiſtoria, quanti illa facienda ſit in febribus petechialibus, & ſynochis putribus.

HISTORIA IX.

POſt quatuor legitimæ tertianæ acceſſus, quos domi perpeſſus eſt ſutor Victorius Aſtrua Taurinenſis, in Noſocomium admittitur die vigeſima Junii anni 1777. Temperamenti erat athle-

athletici: hunc quatuor emenſum luſtra nullus unquam antea morbus vexavit. Noſtræ curæ commiſſus febris recurſus ſuſtinuit adeo vehementes, ut delirus ſemper eſſet in incremento febris. Perluſtratis abdominis viſceribus, & reliquis debito modo perpenſis, nil erat, quod prohiberet uſum Chinæ chinæ. Hæc igitur opportuno tempore, & æquo pondere juſſa eſt: ac poſtera die a febre libera juxta experientiſſimorum in arte Virorum doctrinam reliquum unciæ propinatum eſt, ne, ſi febris redierit, remedium culpari poſſet. At quid plura? Ita obfuit, ut citiſſima fuerit febris intermittentis in continuam mutatio. Symptomata ſecundæ hujus febris erant calor ad tactum mordax, ad ſoporem proclivitas, facies flammea, motus per univerſum corpus ſpaſmodici, balbuties, concitatus pulſus, creberrimus, & durus, urinæ croceæ cum aliquo ardoris ſenſu, notabiliſque imi ventris tenſio. Quum, quæ de novo emergunt novis indigeant auxiliis, præmiſſo emolliente clyſtere, ſanguis e *ſaphena* miſſus eſt, & loco decocti amari, quod primis morbi diebus ſumebat æger, decoctum graminis nitratum, & largum ſeri lactis potum præſcripſimus: eductus ſanguis vix cohærens apparuit, parſque cruoroſa multo innatabat ſero intenſe flavo: inſpectio hæc nos cautos fecit ab ulterioribus venæ ſectionibus, eo vel magis, quod collectarum ſordium in primis viis indicia manifeſta præberent nauſea, lingua ſordida, ructus nidoroſi. Quapropter celebrata ſanguinis miſſione, rationi conſona viſa

eſt

eſt Ipecacuanha: neque expectationem fefellit eventus: ab hoc enim fœtentium humorum quantitas educta eſt cum remiſſione omnium ſymptomatum: expeditam recuperavit æger loquelam, & faciles, nec non colore a ſanitatis legibus vix abludentes urinæ redierunt: die ſeptima morbi res in pejus vertuntur; anhela fit reſpiratio, prodit ſtertor cum ſicca, & moleſta tuſſi, pulſu inæquali, tendinum ſubſultibus, æſtu adeo vehementi, ut fere intolerabilis eſſet pulſum exploranti. Hæc morbi progreſſio palam faciebat *metaſtaſim* ad pectus, & ad caput materiei tenuiſſimæ, & acerrima indole laceſſentis, quæ primum abdominis viſcera infeſtabat: exque hac varii generis irritamenta, & cetera *epiphenomena* deduci poſſe videbantur: hinc in ſententiam venimus hujus quantocius revellendæ a partibus ſuperioribus, ne diutius hærens vitales functiones magis peſſumdaret, aliiſque morbis, ut plerumque fit, aut diuturnis, vel nulla quandoque arte vincendis occaſionem præberet; hunc in finem veſicantia coxis, & occipiti admota ſunt, educendæque materiei in pulmonibus congeſtæ oximellem ſimplicem, gummi ammoniacum in aquis idoneis diſſoluta ſelegimus, non neglectis remediis, quæ *alterantium* nomine veniunt: puta extractum ſcordii, extractum acetoſæ, & ſerpentariam virginianam ſingulo trihorio prudenti doſi repetenda. Votis reſpondit exitus: ex veſicantibus multum eductum eſt ſeri intenſe flavi; detergens remedium *anacatharſim* promovit copioſam materiei

 viſcidæ,

viſcidæ, & ad flavedinem vergentis, emendavitque alvi duritiem, ex quibus evacuationibus liberior evaſit reſpiratio, æſtus remiſit, & ſubfultus tendinum evanuerunt. A juvantibus edocti communi potui addidimus oximel ſimplex Tiſſot conſilium ſequuti, & in uſu *alterantium* ſtetimus die octava, nona, decima, undecima, & duodecima ſummo cum ægri levamine: decimatertia reviviſcit febris, increſcunt, ut numquam antea, calor, & ſitis, conſtipatur alvus, & urina, quæ critica jam prodibat, cryſtallina evadit; dein præcedente inſolito per totum corpus tremore maculis lividis, & vibicibus fœdatur univerſa fere cutis una cum cryſtallinis puſtulis, quæ penes multos miliares audiunt deterioris notæ. Morbi exaſperatio effecit, ut *antiſepticis* memoratis ſpiritus dulcis vitrioli additus fuerit, nec non ſincerus malorum medicorum ſuccus ad uncias aliquot intra diem repetendus juſſus ſit: dumque hæc miniſtrabantur, revocandæ alvo lenes clyſteres, & refrigerantes haud prætermiſſi fuere: præſidia hæc feritatem morbi compeſcere ita potuerunt, ut Natura ſenſim, ſenſimque debita reſumens munia gignendis criticis evacuationibus per alvum, & urinam par fuerit, ægerque integram ſanitatem recuperavit die vigeſimaprima: at fortaſſe quibuſdam videbimur nos minus cauti fuiſſe hac in curatione ob miliares puſtulas, quæ clyſterum uſum, & ſubacida, ceu ad peripheriam non pellentia, prohibent: illorum enim, ut ipſi ratiocinantur, agendi vi humor a propria ſede ad interio-

ra

ra allicitur, ſubacidiſque motus retardantur eruptioni neceſſarii: hinc fit, ut convulſiones ſæpiſſime lethales ſequantur. Profecto his quoquomodo aſſentiemur, ſi de morbo vere miliari, qui rariſſimus eſt, cuique vincendo non ita commode par adinveniri poteſt remedium, agendum foret: at liceat in morbo, de quo ſermo eſt, proponere, puſtulas has, quæ pro miliaribus habentur, a nobis tamquam ſymptoma morbi conſiderari, ſancteque pronunciare poſſumus, nos unquam pœnituiſſe hujuſce agendi modi medicina rationali, experientia, & obſervationibus fretos. Et ſane quem nam fugit, non alio ex principio puſtulas has repetendas eſſe, quam ab illo, quo aphtæ naſcuntur linguam, palatum, fauces obſidentes? Peculiarem ne animadverſionem merentur? An tamquam morbi ſymptomata conſideranda veniunt? Nemo enim ignorat, puſtulas haſce ex humore tenuiſſimo, & acerrimo minutiſſima cutaneorum vaſorum capillamenta ſubeunte elevari epidermidem, puſtulas oriri, quemadmodum memoratæ oris partes ne dum aphtis deturpantur, ſed ſcinduntur, excoriantur. Ad medicinam igitur rationalem illi potius accedere videntur, qui temperantibus, leniter alvum moventibus ſuperare tentant, & blande educere acerrimum penetrantiſſimum virus, quam qui validis diaphoreticis: ab his enim motum inteſtinum adaugeri, quod ſubtilius eſt, diſſipari, vitiatam humorum indolem in dies evehi certum eſt. Quis porro aperte non intelliget ab expreſſis ſudoribus ſtar-

ſes fieri, excernenda ſupprimi, cunctaque fere viſcera aut inflammari, vel ſphacelo ut plurimum conſumi? Id paſſim confirmant cadaverum ſectiones.

HISTORIA X.

FRanciſcus Vinaſſa ab Oppido Sancti Ambroſii ciſiarius ætate florens acutiſſima febre, & dolore vehementi dexteræ thoracis partis laborans Noſocomium advenit die Maii decima anni 1776. Tuſſis ſicca, obtuſus capitis dolor, reſpiratio difficilis, livida facies, pulſus celer, & durus erant morbi ſymptomata. *Proegumenæ*, & evidentes morbi cauſæ fuere mala victus ratio, labores immodici, & copioſiſſima pluvia, qua ab Alexandria redux madidus fuit, indumentiſque perfuſis laſſus viarum integram noctem duxit arctiſſimo ſomno. Extemplo miſſus eſt ſanguis e brachio, qui *diatheſim* rheumaticam inſigniter evectam ob oculos poſuit. Ab hujus inſpectione, attenuandi ſcopo, revocandæque ſuppreſſæ perſpirationis, ſæviente dolore lateris cum apparentibus ſputis ſinceri ſanguinis, & perſiſtente pulſus duritie, detractus a vena cubiti ſanguis eſt altera vice; cujus tophacea maſſa multo innatabat ſero admodum flavo, vixque memoratæ rheumaticæ *diatheſis* ſigna apparuere. Dum æger a ſecunda ſanguinis detractione melius ſe habet cum molliori pulſu, & laudabili ſudore, morbus faciem mutat, luditque tragœdiam in imi ventris viſceribus; ex-

ſuſci-

ſuſcitantur enim tormina vix ferenda, tenduntur hypochondria, inaneſque ad vomendum conatus ægrotantem vexant. Hæc morbi ſubita mutatio, habita ſeri crocei ratione, nos cautos fecit ab ulterioribus ſanguinis detractionibus: quin immo, duce experientia, de *ſeptico* humore præter rheumaticam *diatheſim* dubitavimus, quum paſſim tunc temporis obſervarentur febres perſonam hanc induentes. Qua de re, mutato conſilio, ad clyſteres primum emollientes confugimus, quibus multa educta eſt humoris glutinoſi, ſubviridis, ac fœtidiſſim copia, dein ſerum lactis cum tamarindis coctum præſcriptum eſt quod bene ceſſit; paullatinæ ſiquidem, quas movit, alvinæ evacuationes liberiorem fecere reſpirationem, evanidis prorſus dolore lateris, torminibus, & vomendi ſtimulo. Sequentibus diebus quarta nempe, quinta, ſexta, & ſeptima, corrigendi ſcopo, ſuccus cichorei, & acetoſæ juſſus eſt, non omiſſo pro potu ordinario decocto ex iiſdem plantis parato, addito oximelle ſimplici. Octavæ initio, abſque ullo ſenſibili errore, ſtertoroſa evadit reſpiratio, multa apparet in ſputis bilis porracea, inſtat ſopor, exque molli in tympanicum mutatur abdomen, febris perquam acuitur cum minuto, & celeri pulſu, urente calore, & ſiti inexplebili: verbo omnia ſe produnt conjuncta ſynochi vehementioris. Oleum e ſemine lini his in circumſtantiis præſcripſimus, quo occluſa alvus ſolveretur, faciliorque obtineretur *anachatarſis*. Mire profuit; has namque evacuationes promovit ita, ut nonam,

nonam, decimam, & undecimam pacatiſſimas æger tranſegerit cum humidula cute, pulſu molli, jam jam coctionis ſignis in urinis apparentibus: haud prætermiſſæ ſunt hiſce diebus potiones ſubacidæ temperantes. Die decimaquarta leviſſima febre laborat æger, & decimaſeptima ab ipſa prorſus immunis evadit; vix dum quarto convaleſcentiæ die elapſo, inopinanter febre corripitur a frigore incipiens, quod excipit calor in copioſiſſimum ſudorem deſinens; hujuſce febris cum invaſionis, tum progrediendi modus una cum lateritiis urinis nos in ſuſpicionem adduxit alicujus ſecundariæ febris periodicæ. Per expectationem igitur, quæ tanti æſtimanda eſt, quum non urget morbus, medicinam faciendam eſſe decrevimus. En tertiam ab inſultus die acceſſionem, quæ legitimam tertianam patefacit. Quamobrem, quum pectoris, imique ventris functiones rite procederent, ſatiſque expurgatum corpus ex anteactis videretur, e re duximus Chinam chinam, ne febris hæc debilitatas ægri vires in dies magis proſterneret. More noſtro, & conſueta doſi remedium debite præparatum datum eſt ante recurſum tertii *paroxyſmi*; at ſpe decepti fuimus. Etenim non amplius ad *apyrexiam* pervenit febris, ſed remittentis typum adepta eſt; a *febrifugo* manum illico retraximus, conſiderantes quidpiam adhuc prioris morbi in corpore latitans vi corticis ſubſtyptica coercitum exaſperari: conjecturam hanc confirmabant alvi ſegnities ab aſſumpta China china, anxietas, concitatus pul-

ſus,

ſus, & urinæ aqueæ. Temperantia, diluentia, ſubacida in uſum rurſus vocata ſunt, nec non lenia enemata: hæc intra biduum ſummæ fuere utilitati; moderata ſiquidem oborta eſt diarrhæa, multumque morboſi fomitis per urinæ vias evacuatum eſt: ab hiſce criticis evacuationibus erectæ vitæ vires ſuffecerunt ciendo univerſali ſudori cum numeroſis puſtulis minutiſſimis, quæ tamquam criticæ morbum perfecte judicarunt.

HISTORIA XI.

IN Noſocomium excepimus die quinta Aprilis anni 1777. aurigam Jacob Longo Taurinenſem trigeſimumquintum ætatis annum agentem temperamenti melancholici. Quo detineretur morbo ſciſcitatus reſpondit ſe a triduo doloribus vexari modo crura, modo genua, coxaſve, quandoque humeros occupantibus, alias horroribus moleſtari, demta prima morbi die, qua manifeſtiſſimum frigoris ſenſum percepit ad duas, & ultra horas: addebat ſe viribus adeo deſtitutum eſſe, ut ne digitum quidem movendi ſibi facultas eſſet: ex omnium, quoad fieri potuit, ſymptomatum collectione, potiſſimumque ex pulſu, qui nullam præbebat duritiem, vixque febris indicia, de febre periodica dubitavimus, quæ, priuſquam ſe ſe evolvat, rheumaticos dolores, vel arthriticos ſæpenumero inſimulat, uti, præeuntibus ſanioribus Clinicis, ſæpius obſervare nobis contigit. Rem itaque tempori commiſimus,

miſimus, & moderatæ diætæ ægrum adſtriximus, nec non decocto camædrios pro potu ordinario. Craſtina die hora prima pomeridiana febris exoritur frigore primum ſtipata, dein calore, poſtea ſudore: alternis diebus bis adhuc recurrit, evanidis memoratis doloribus: hinc licet rite ſuccederent corporis functiones, ob viriuin tamen debilitatem juſſus eſt cortex peruvianus debito tempore, cujus doſis ante reditum quarti circuitus ad unciam aſcendit. Etiamſi notabiles contigerint ſeparationes, in continuam tamen abiit legitima febris tertiana cum reſpiratione gravi, acuto capitis dolore, pulſu duro, & creberrimo, calore immodico. A mutato febris ,enio, habitaque omnium ſymptomatum ratione ſanguis e brachio detractus eſt, cujus color, & conſiſtentia a naturali nil prorſus abludebant: interea quum arida lingua mucoſo glutine obducta notaretur, oris amaror eſſet, & obtuſus dolor frontem occuparet, præſcripta eſt potio purgans ſubacida, quæ multam alvo humorum copiam deturbavit cum notabili ſymptomatum remiſſione. Die tertia febris continuæ ægrum viſentes vix febricitantem invenimus, teſtantem ſe pacatiſſimo ſomno per totam noctem indulſiſſe: inopinata hæc morbi remiſſio nos illico ſollicitos fecit de obſcura febre periodica; hinc utilem fore opinati ſumus uſum Chinæ chinæ, quam idcirco modica quantitate ſumendam iterum ægro exhibuimus: poſt triduum occluditur alvus cum urinæ ardore, ſenſim ſenſimque intumeſcit abdomen, & febris exoritur vehementiſſima

tiſſima cum acutiore dolore lateris ſiniſtri, tuſſi, & ſputo primum croceo, dein ſanguineis ſtriis notato, paulloque poſt mere cruoroſo; hæc omnia pulſus duri, & contracti ſocia nobis ſuaſere ſanguinis e brachio miſſionem perpendentibus remedium iſtud, licet directe haud opponeretur cauſæ proximæ hujuſce morbi, ceu a mala bilis indole orti, plurimum tamen conducere præveniendæ ſecundariæ, quæ non infrequenter a Clinicis notatur, inflammationi nothæ ex ſpaſtica vaſorum contractione natæ, humorumque acredine. Celebrata ſanguinis miſſione, *alterantia* remedia fuere extractum acetoſæ, roob ſambuci, nitrum, & ſerum lactis, tum decoctum graminis, & acetoſæ nitratum affatim ſumendum, quorum ope in putredinem vergens bilis emendaretur, & adhibitis *clyſmatibus* per debitam alvi viam invitaretur: Etiamſi vero hæc medendi ratio ad quatuor dies continuata non parum ægro opitularetur, modicis tamen perſiſtentibus ægri viribus, quin immo debillimis una cum anxio, & brevi anhelitu, & frequentibus tendinum ſubſultibus, epiſpaſtica coxis neceſſario admovenda ſtatuimus, quibus ne dum virium debilitas ſumma emendaretur, ſed quod pectus infeſtabat, & nervos irritatione ſuccuſſum revelleretur: at, nondum obtento ab his effectu, mox delirus evadit æger, vix ſuperſtite febre cum inſolito extremorum frigore, & aridiſſima cute; quam ob rem veſicans cervici applicitum etiam eſt, & admotæ dorſo, ac lumbis cucurbitulæ ſiccæ: hiſce ob-

ti-

tinuimus, ut vires quodammodo redierint, pulſus frequentior, & inæqualis evaſerit cum aucto extremarum partium calore: interea vero delirium perſeverabat, quin immo accedebat floccorum, & feſtucarum collectio, nondum redacto ad ordinatos motus pulſu: hæc licet rem periculi plenam portenderent, oborta nihilominus ex epiſpaſticis irritatione ſenſim ſenſimque remiſere, & ad undecimam acuti morbi diem perventum eſt, qua compos ſui evaſit infirmus, reviviſcentibus valida febre, & vomitu *porraceæ* bilis perquam amaræ; ab hac, exque nauſea, oris amarore, & lingua ſordida remedium ex pulpa caſſiæ, & tamarindorum ceu antiphlogiſticum opportunum viſum eſt, quo atræ bilis fœtidiſſimæ copia multa educta eſt; hinc ceſſavere vomitus, nauſea, liberior evaſit ſpirandi facultas cum notabili tum febris, tum ceterorum ſymptomatum remiſſione: decimaquarta die febris iterum exaſperatur, ſæviunt magis, magiſque enarrata ſymptomata, ceſſat laudabilis veſicantium ſuppuratio, hiſque ſociantur petechiæ per totum fere corpus ſat latæ, & numero multæ, hæmorrhagia e naribus, tantuſque virium defectus, ut de vita ægrotantis conclamatum eſſe crediderimus: addatur halitus ægri adeo graveolens, ut vix ab adſtantibus ferri poſſet; porro quum ex hiſce ſatis, ſuperque deduci poſſet ſummus, ad quem humores pervenerant, corruptionis gradus, nulli dubitavimus, quin remediis *antiſepticis* aromaticis acidum vitrioli dulce

dulce non exigua dosi adderemus, nec non vino ceu his in circumstantiis ceteris *cardiacis* anteponendo uteremur, quibus pessima bilis, ceterorumque liquidorum indoles compescereturr, solida erigerentur, & sanguini deperdita *crasis*, quoad fieri posset, citius restitueretur. DEO dante prosperum sortita est exitum hæc medendi norma: die namque decimaseptima, viribus vitæ adauctis, rursus effundunt pus bonæ notæ ulcera a vesicantibus inflicta & quidem prospere (quod certe sapiens antiquitas plurimi fecit, uti ex Hippocrate *De locis in homine cap.* 2., Charter. *tom. 7. pag.* 370., Galenus *De meth. ad Glauconem lib.* 1., & non minoris habentur a prudentibus hodiernis Clinicis: non enim utilia tantummodo sunt in hisce casibus, ut revellentia, sed tamquam corroborantia, & vim vitæ excitantia considerari debent). Circa vigesimam salutaris oboritur alvi fluxus., & vigesimaseptima perfecte morbus judicatur.

HISTORIA XII.

CUræ nostræ commissus fuit in Nosocomio eodem tempore, quo decumbebat Jacob Longo, sutor Ignatius Tepati Taurinensis febre legitima tertiana recidiva laborans. Post quatuor recursus, quum nullus functionum naturalium a statu sano recessus esset, in declinatione quintæ accessionis cortex peruvianus cum rhabarbaro mixtus præscriptus est; sextus recursus mitior redit, eademque *febrifugi* dosi repetita ra-

radicitus febris extirpata fuit. Hinc victum prudenti manu ægro miniſtrandum conceſſimus, & paucos intra dies ſani hominis habitum adeptus eſt. Rebus ita ſe habentibus, dum domum petere cogitat, ſubita febre corripitur horrore primum, dein frigore ſtipata, poſtea calore, ac demum ſudore. Hanc pro recidivo in febrem lapſu habuimus, uti ſequens tertia die circuitus rem nobis aperuit. Huic fugandæ in promptu rurſus fuit contra nonnullorum ſententiam cortex peruvianus, qui notabilium per alvi, & urinæ vias ſeparationum cauſa fuit: hiſce non obſtantibus, indolem mutat febris, & ex periodica fit continua. Hanc comitantur immanis capitis dolor, difficilis reſpiratio, tuſſis ſicca, lingua ſubnigra, hypochondriorum, & epigaſtrii potiſſimum elatio, oculorum ſuffuſio, livida facies, pulſuſque celer, digitoque admodum reſiſtens; ex his, exque cruore e naribus ſtillante indicatio mittendi ſanguinis deſumta eſt, qua humorum *rarefactioni* occurreretur, & *ſtaſis* præcaveretur facile oritura aut in viſceribus vitalibus, vel in univerſa ſanguinis via: eductus e vena cubiti ſanguis cruſta, ut inquiunt Clinici, lardum æmulante obductus apparuit, parſque cruoroſa adeo tenax, & denſa, ut ſcindenti ſcalpello reſiſteret: ab ejuſmodi ſanguinis conditione conſilium cepimus de altera miſſione, dein attenuandis humoribus, diluendiſque; ita tertiam, quartam, quintamque diem a ſecundæ febris ingreſſu tranſegimus cum aliqua omnium ſymptomatum remiſſione. Die ſexta, uni-

verſali

verſali oborto ſudore, melior eſt ægri ſtatus: die ſeptima exareſcit cutis, febris acuitur, & pulmones obſidet materies morboſa: reſpiratio namque gravis evadit, ſtertoroſa, cum ſputis viridibus, pulſuque inæquali, mox intermittente debillimo; *metaſtaſis* hæc nos ſatis edocuit de rheumatica, quam in humoribus notavimus, *diatheſi*, hancque, ex celebratis venæ ſectionibus emendatam quodammodo iri, non ita bilioſum humorem, quin potius hunc ex illis cepiſſe vires, ut artis noſtræ genius Hippocrates, & innumeri Auctores ex longa obſervationum ſerie ſcriptum reliquere: revellendæ igitur a pectore materiei morboſæ, promovendæ *anacatharſi*, & acerrimæ bili corrigendæ totam operam dedimus, ne hujus in pulmonibus adaucta congeſtio aut ægrum ſuffocaret, aut ſyſtema nerveum impetens convulſiones induceret ut plurimum lethales: has ut adimpleremus indicationes, inter revellentia deprompſimus veſicantia femoribus applicita; ex claſſe *bechicorum*, aperientium, & ſubacidorum opportuniora viſa ſunt oximel ſimplex, roob ſambuci, nitrum, moderatis cardiacis unita: neque hæc inopportuna comprobavit eventus: die namque nona, viribus vitæ epiſpaſticorum ope revocatis, & *alterantibus*, quæ in vaſis cutaneis impacta materies hærebat dilutiore reddita, blandus obortus eſt ſudor per univerſum corpus cum notabili puſtularum eruptione: hanc fere evanidam ſecutus eſt moderatus alvi fluxus, qui decimaquarta ægrum a morbo feliciter liberavit.

HISTORIA XIII.

QUantum a veritate diſtet illorum ſententia, qui tot encomiis celebrant Chinæ chinæ efficaciam in ſynochis putribus, ceu remedium antiſepticum, dummodo, ut ipſimet contendunt, larga doſi præſcribatur, una cum hactenus enarratis fidem faciant hæc, & proxima hiſtoria. Antonius Macrim transfuga Gallicus in Noſocomium quarta vice eodem anno 1777. menſe Junio receptus eſt. Duobus quidem ab hinc menſibus tertiana ſimplici laboravit, quam debellavimus cortice peruviano: *recidivam* paſſum, & poſt hanc tertia vice in febrem relapſum eodem remedio curavimus. Exacto habito corticis quantitatis calculo, quam intra hoc tempus devoravit æger, ad quatuor uncias aſcendit. Profecto, ſi conjecturæ locus eſt, nemo præſumet antiſepticæ *febrifugi* vi fretus fore, ut æger in ſynochum putrem quantocius incidat: quæ namque medela pro febre tertiana radicativa fuit, *prophylactica* adverſus illam certo eſſe debuerit. At ex falſis principiis falſa deduci corollaria Philoſphi docent. Dum enim ſe in integram reſtitutum ſanitatem credebat æger (vigeſimus namque excurrebat ab ultimo in febrem lapſu dies, quo temporis tractu nondum cortici penitus valedixit) vehementiſſima febre corripitur anomalis comitata conjunctis: pulſus namque *aſphyxiæ* proprii extemplo ſe produnt, fixus evadit obtutus, extrema frigent, ſpiratio cum gemitu notatur, & abdominis tenſio tympa-

panica. Horum conſideratio ſubdoli morbi genium ſatis apertum facere videbantur: quam ob rem ea, quæ viribus reſtaurandis, sordium e primis viis evacuationi, & venenato, ut ita dicam, principio corrigendo idonea commendantur, in uſu habita ſunt; uti aqua theriacalis frigida, aqua C. N., tum extractum ſcordii, tanaceti, radicem ſerpentariæ virginianæ, nec non acidum vitrioli dulce. Alteram indicationem explevit, præmiſſis clyſteribus emollientibus, Ipecacuanhæ ſcrupulus, cujus vi per os, perque alvum ingens fœtentium humorum copia educta eſt. Quarta die laudabiliores pulſus notantur, at ſoporis inſtant indicia, ſtertoriſque: hinc non interrupto alterantium uſu, ſi demas acidum vitrioli, ceu morbis pectoris inimicum, cervici, & femoribus admota ſunt epiſpaſtica, ne ulterior in capite, vel thorace congeſtio, inflammationi, ut plurimum *eryſipelaceæ*, aut ſuffocationi locum præberet. Ab his nihil profectum eſt, neque ab iteratis clyſteribus oleo e ſemine lini acrioribus redditis. Quin immo ſexta die latæ, & numeroſæ petechiæ prodiere; initio ſeptimæ, his evaneſcentibus ſupervenere ſtertor, & univerſalis virium reſolutio: ac brevi diem ſuum obiit æger.

HISTORIA XIV.

JOannes Victorius Sedici villosi serici fabricator Nosocomium petiit tertiana simplici laborans mense Augusti ann. 1777. Temperamentum habebat sanguineum, virilitatem ingressus se nullum unquam antea passum fuisse morbum profitebatur. Post quatuor febris accessiones, quum nil in visceribus abdominis a sanitatis legibus alienum esset, id confirmante roseo genarum colore, ceteræque functiones rite procederent, additis, quas assidue fundebat æger, precibus, ut quantocius febre liberaretur, qua fugata, posset familiæ victum lucrari, huic extemplo *febrifugum* propinavimus. Ab hoc assumpto sexies alvum deposuit, & urinas lateritias sedimento copiosissimo refertas excrevit. Die a febre vacuo reliquum unciæ *febrifugi* præscriptum est, cui perbelle cessit febris; ne tamen *recidivæ*, in quam ob incautum vivendi genus plebs sæpissime labitur, obnoxius esset, per octo dies ad drachmam unam remedium continuatum est, duce Francisco Torti inquiente *Rite, ac per repetitas justo ordine vices hoc exhibendum esse* in lib. 1. cap. 1., ne semel fugata redeat febris. Sub remedii usu eas a febre liber vires recuperavit infirmus, ut Nosocomio valedixerit. Duas post dies acuta febre detentum rursus auxilium nostrum petit. Hanc primo intuitu a calore, & siti inexplebili pro Causo habuimus: at ceterorum symptomatum diligenti, uti par est, ratione habita, veram esse syno-

chum

chum putrem vehementiorem comperimus. Pulſus namque celer, & debilis explorabatur, croceæ erant, quæ per alvi, & urinæ vias obtinebantur, evacuationes; ructus, nauſea, vomitus materiei viridis ægrum fatigabant; his adjungebantur obtuſus frontis dolor, lingua ſordida, & ingens totius corporis debilitas. Tanta rerum mutatio de alia ineunda via nos monitos fecit juxta divini ſenis Hippocratis præceptum, a juvantibus, & lædentibus indicationes deſumi. (*) Leniter al-

(*) Neque ſane Chinæ chinæ fautoribus aſſentiemur inquientibus hanc, licet mutatus fuerit morbi genius, obſtinato tamen animo exhibendam eſſe, quum luſus Naturæ potius ſit morbi mutatio, quam remedii. Certum enim eſt, febris periodicæ in continuam mutationem pendere a morboſa cauſa ne dum remedio intra corpus coercita, ſed nullo modo ab ipſo emendabili. Id aperte probant cauſæ occaſionales, quæ *recidivis* ſæpenumero favent: puta aer frigidus, & humidus incaute admiſſus, nimia corporis defatigatio, aut ſudor, frigidorum potus, eſus vegetabilium, præcipue crudorum, indebitus purgantium, aut clyſterum uſus, & ſimilia. Hinc ſi quidpiam conjectura aſſequi poteſt, experientia duce, affirmandum eſt, omnem adimpleri paginam a *febrifugo*, quotieſcumque humorum, præcipue bilis a naturali ſtatu receſſus cauſa pendet ex ſolidorum debilitate; huic enim emendandæ, proptereaque febri ex hac ortæ fugandæ, quidquid tonicum erit, aptiſſimum dici poteſt. At ſi depravata ita fuerit humorum compages, ut *alkaleſcentem* indolem hi acquiſiverint, hoc in caſu, quæ corroborantia ſunt, & & ſubſtyptica, uti eſt China china, multo erunt nocumento; quum ne dum, quæ noxia ſunt, emendare valeant, ſed hæc altius in corpore figant, deteriorique morbi progreſſui occaſionem præbeant.

vum moventia antiphlogiſtica remedia primum adhibita ſunt, nec non blanda *enemata*: ſequenti die, quum ructus & ad vomendum proclivitas ſupereſſent, etſi plurimarum ſordium evacuationi memorata contulerint, tenuis tamen radicis braſilienſis doſis præſcripta non minorem per alvum fœtentis humoris quantitatem movit: ad *alterantia*, & moderata cardiaca acceſſimus tertia die. Inter prima ſelegimus extractum acetoſæ, cichorei ſingulo trihorio repetenda: cardiaca fuere aqua meliſſæ, theriacalis frigida, & myrrha. His factum eſt, ut quintam, ſextam tranſegerit æger cum notabili febris, & conjunctorum remiſſione: ſeptima die diarrhæa critica oboritur, hacque per triduum durante, undecima die vix ſuperſunt febris indicia. Dum *analepticis* virium reparationi ſolummodo ſtudemus, horror decimaquarta die prehendit ægrum, cui ſuccedit calor in ſudorem deſinens copioſiſſimum multas poſt horas: acceſſio hæc obvium nobis fecit febris tertianæ recurſum: quum quotidiana ſit Clinicorum obſervatio febrium intermittentium, quæ, ſuperveniente acuto morbo, ſilent, illoque evanido, reviviſcunt; rem ita ſe habere comprobavit eventus: tres namque ſingula tertia die paſſus eſt acceſſiones legitimæ tertianæ. Ob naturam igitur hujuſce febris, obque ſummam virium ex acuto morbo debilitatem nil aptius, nilque efficacius credidimus China china. Unciam unam opportuno tempore præbuimus ægro utinam emolumento, ſed damno; ſenſim enim, ſenſimque obſcuriore periodo pro-

protracta febris in remittentem abiit cum tussicula, & læsa quodammodo respiratione; a *febrifugo* extemplo abstinuimus, ac *bechica* amaris, & aperientibus unita radicativa fuerunt morbi remedia. Per alvum, & urinas morbus judicatus est: hinc manifeste patet, superstites acuti morbi reliquias a coercente pharmaco exasperatas iri: patet etiam si pertinax, ut volunt adversarii, fuisset remedii usus, nascituram probabiliter pulmonum labem omnia artis molimina ut plurimum superantem.

HISTORIA XV.

BAjulus Baptista Isaja a Lanceo vix quinque emensus lustra temperamento præditus sanguineo in gravem incidit morbum, cujus causa evidens ebrietas fuit. In Xenodochium admittitur die secunda morbi. Febris ex ejus relatu a calore urentissimo initium habuit; hanc comitabantur gravitas totius corporis, cardialgia, frequens, at irrita ad vomendum propensio cum notabili trahendi spiritus difficultate: accedebant pulsus contractus, & debilis, lingua sordida, oris amarities, tormina imi ventris, urina lateritia, gravativus frontis dolor. Hisce probe animadversis, a sordibus primarum viarum, & *cacochimia*, ut inquiunt Practici, biliosa repeti jure posse nulli dubitavimus: hinc remediis, qua data porta & illas cito, & tuto evacuaret, hancque corrigeret, usi sumus, primum scilicet Ipecacuanha, dein amaris, & subacidis. Quanta

ab emetico per os, perque alvum educta ſit fœtens colluvies, vix dici poteſt; neque ſine utilitate fuere ſubacida: intra biduum enim ad perfectam quaſi *apyrexiam* devenit febris, evanidis memoratis phænomenis. At tertia a decubitu die inſolitum frigus circa veſperam ægrum prehendit ad duas horas protractum, huic pediſſequus eſt calor nimius, cui poſt notabile tempus finem facit copioſiſſimus ſudor. Nil ab hujus novæ, ut videbatur, febris ingreſſu movendum eſſe duximus ea freti opinione, plus ſæpe cunctando, quam nimis maturando proficere Medicum. Re enim vera tertia ab acceſſu primo die redit febris eadem hora, iiſdemque comitata ſymptomatibus, hoc ſolo diſcrimine, ut delirium nempe æſtus tempore ægrum detineret. Altero hoc circuitu licet manifeſto nondum contenti, habita evidentis cauſæ, & conſtitutionis, quæ tunc temporis favebat ſynochis vehementioribus, & tempeſtatis vernalis ratione, e re minime fore veriti ſumus, febrem in ovo ſuffocare: ſatius putavimus ſuccis amaris detergentibus, & ſubacidis inhærere, donec indoles morbi ſe clarius detegendam præberet. Reverſa eſt ſtata dies febris, iiſdemque remediis pugnavimus. Jam vero, quum ſatis, ſuperque, quidquid in primis viis incongrui eſſe poterat, ſat expurgatum iri videretur, tertio febris reditui Chinam chinam larga doſi, debitaque rhabarbari quantitate mixtam objecimus. Hoc remedio devicta febris ſiluit ad multos dies, rite ſuccedentibus cum per alvum, tum per urinæ vias eva-

evacuationibus, eo vel magis quum Chinæ chinæ uſus nondum abruptus eſſet *prophylactici* remedii ſcopo. At vero, dum ægrotantis valetudini ſat conſultum eſſe exiſtimamus, vehementiſſima exardeſcit febris periculi plena cum concitatiore, & duro, ut nunquam antea, pulſu, lurido faciei colore, oculis ſcintillantibus, aurium tinnitu, cephalæa, anxia reſpiratione, & doloribus ſingula corporis membra occupantibus: ob impetum febris, & conjunctorum ſævitiem ſanguis e brachio ad uncias octo detractus eſt; compeſcendis motubus, ſedandæque humorum rarefactioni idonea viſa ſunt ſucæus taraxaci, & acetoſæ, nec non decoctum graminis multo refertum nitro: alvus obediens erat, & lotium quantitate, qualitateque laudabile: eductus ſanguis naturalem *craſim* oſtendebat, quæ juxta ſaniorum practicorum obſervationes, & experientiam timoris potius, quam ſpei cauſa nobis fuit. Volunt namque, eo magis pertimeſcendum a Medico eſſe, quo minus ſanguinis compages gravitati morbi, conjunctorumque reſpondet. Porro etſi latentis principii *ſeptici* quædam nos teneret ſuſpicio, quum nullum tamen nobis ſe ſe offerret novum indicans, a memoratis remediis non declinavimus. Die hujus ſecundariæ febris tertio ſæviunt una cum febre ſymptomata omnia, potiſſimumque anxietas, cui accedunt frequentes animi defectus, mentis imbecillitas, pulſus debilis, alvi occluſio, & dyſuria. Enarrato regimini clyſteres blandos addidimus, & fotus regioni potiſſimum

mum hypogaſtricæ admovendos, tum potum ſubacidum, & moderata cardiaca. Quarta morbi die licet copioſam alvum moverint juxta opportunitatem iterata *enemata*, nulla tamen ſucceſſit febris remiſſio, hujuſque phænomenorum; quin potius vana, & incongrua loqui cœpit ægrotans cum aliqua ad ſoporem propenſione. Hæc effecere, ut præcavendæ aut pectoris, aut meningum inflammationi, vel univerſæ ſanguinis *ſtaſi* rurſus prudenti manu phlebotomía e ſaphena inſtituta fuerit: vix cohærens apparuit ſanguis, arteriarum motus languidiores, & inæquales evaſerunt frequentibus tendinum ſpaſmis turbati, & obſcuro ſopori delirium acceſſit. Qua de re mentem convertimus noſtram 1. ad epiſpaſtica (quidquid alii, ubi de humorum ſolutione metuitur, contrarium ſentiant) occipiti, & femoribus applicanda, quibus ſolidorum vires, quod caput erat, erigerentur, ſimulque a vitalibus functionibus peccans materia quantocius revelleretur: 2. ad acida mineralia, & aromatico-*antiſeptica*, quorum ope deterrimum miaſma, quantum fieri poſſet; corrigeretur: 3. ad antiſpaſmodica, quæ ſane perquam utilia eſſe credimus his in circumſtantiis, ne ab acribus humoribus continuo laceſſita vaſa ad eum irritationis gradum perveniant, ex quo lethales ſanguinis *ſtaſes* ut plurimum repeti jure poſſunt. Occipiti igitur, femoribuſque applicita ſunt epiſpaſtica: alteri indicationi fecere ſatis acidum nitri dulce, extractum ſcordii, tanaceti, camphora; reliqua fuere liquor C. C. ſuccinnatus, pulvis Magni

Ducis

Ducis Etruriæ, nec non aqua camæmeli, & theriacalis frigida. Ab hac medendi norma ita profecimus, ut ad octavam morbi diem perventum ſit ſummo cum ægri emolumento; ſenſim enim, ſenſimque vires recuperavit ægrotans; quæ in cutaneis vaſis hærebat materies morboſa, molliore facta cute, perſpirationis vias ſubiit, rite ſuccedentibus alvi, & urinæ excretionibus. Die decima, & undecima pulſus explorabatur optimæ notæ, debitis circumſcripta limitibus febris continebatur, accedente ſurditate diarrhææ, quemadmodum obſervatio docet, ſæpenumero prænuntia. Et ſane decimatertia alvi profluvium oboritur, quod ad decimamſeptimam diem continuatum febri finem impoſuit: at ingens ſupererat virium languor, noctes inſomniis horrificis turbabantur, incertus modo irritationis, modo ſtupiditatis ſenſus membra occupabat, his accedebant mentis hebetudo, & riſus *ſardonius*. Horum mehercle attenta conſideratio ſuſpicioni locum dabat febris, quam Practici nominant lentam malignam a quodam ortam, ut ſæpiſſime fit, principio qualitate potius acri, ſingularique, quam quantitate noxio, cujus vi, & efficacia funeſti quidpiam ægro portendi teſtis eſt experientia, eo vel magis, quum pulſus bene ordinati eſſent, & juxta Naturæ leges præter expectationem noſtram rite ſuccederent functiones naturales. Præſens medicina, & *prophylactica* fuere vinum merum, & remedia, quæ ſedandis nervorum irritationibus, acribuſque, & *ſepticis* obtundendis humoribus

longus,

longus, & repetitus uſus confirmavit, puta aqua camæmeli, ſcordii, camphora, ſuccinum, lac amygdalarum dulcium in aqua florum nymphææ paratum, ſuccus malorum aurantiorum, ſimilia. His non obſtantibus præcavere datum non fuit immodicum e naribus ſanguinis ſtillicidium tenuiſſimæ conſiſtentiæ, coloremque loturæ carnis æmulantis. Immodica effluxi vitalis laticis quantitas in extremam debilitatem ægrum conjecit: quapropter quum fomitis mole quidem parvi, at indole acerrimi præſentia argui commode poſſe videretur, qui nondum ſibi permiſſus ne dum ſpaſmorum, ſtuporis, ceterorumque dictorum phænomenorum cauſa eſſe poterat, ſed & ſuccedentis hæmorrhagiæ, nullum conducibilius, & promptius nullum remedium viſum eſt tinctura Chinæ chinæ Huxhamiano more parata: præſentaneum remedium hæc fuit, vixque duas uncias hujus remedii aſſumpſit æger, ut remitteretur ſanguinis effluvium, & craſtina die non interrupto uſu penitus ceſſaret, evaneſcentibus paullatim petechiis. Intra hebdomadam ægrotantis ſalus in vado fuit, & a fonte diætetico petita auxilia rem perfecerunt auſpicato eventu. Quam certa animi conſtantia opinionem auctoritate fretus propoſui (§. 8.) circa caſus, & circumſtantias, in quibus conveniat, quin immo eximium, & tutiſſimum eſſe poſſit remedium China china, ſatis confirmatam iri puto ex hac hiſtoria, cui & alias bene multas adnectere poſſem id ipſum

haud

haud inefficaciter ſuadentes (*). Mihi ſatis ſit, hiſtoriam hanc, meamque medendi normam circa peruvianum corticem adverſus ſynochos putres, quum hæ a qualitate humorum vaferrima, non a quantitate foventur, in medium attuliſſe, ut inde docti, & prudentes viri ſciant, ſi nimis cautam, ampliare, vel comprimere, ſi

* Appoſite hic mentem ſubit caſus nobilis cujuſdam pueri a generoſis parentibus nati, qui quum paucos ante menſes variolas male moratas paſſus fuerit, ab his ita convaluit, ut priſtinum colorem roſeum in genis reſumere amplius non potuerit, nec firmam, qua antea fruebatur, valetudinem recuperare. Rebus ita ſe habentibus, abſque ulla evidente cauſa inopinanter latiſſimæ nigreſcentes cum interſperſis vibicibus petechiæ corpus ubique fœdant, copioſus e naribus, ab oculis ſanguis ad inſtar loturæ carnis effluit, nec parciore copia ab urethra, & alvo: vix febris erat, quod notare juvat, veſtigium. A leviſſimo ſcalptu memorati vibices ſanguinem fundebant. Ex hac multiplici hæmorrhagia breviſſimo temporis ſpatio, ut quiſque conjicere poteſt, in ſummum vitæ diſcrimen adducitur nobilis puer. Quid plura? Cortex Peruvianus acidis mineralibus ſociatus largiſſima doſi, & nullo ſervato ordine exhibitus venenatum fomitem celerrima vi humores fundentem, & ſolida enervantem intra biduum ita ſubigit[illegible], ut, abſque ſenſibili, ſi blandum ſudorem excipiamus, evacuatione intra decem dies peni-

ſi nimis impavidam: ratus interim me, cum ultro non valeam, alieno commodo præſtiturum, ſi

——— Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipſa ſecandi.

---

tus debellatus fuerit. Nervina impoſterum, & *analeptica* per menſis ſpatium continuata ſanitatem amabilis ægri confirmarunt.

CON-

CONCLUSIO.

PAucæ hæ hiſtoriæ in utramque partem allatæ ſufficiant : ulterioribus ſuperſedemus, ne benevoli lectoris patientiam lædamus. In immenſum enim creſceret harum numerus, ſi omnes, quas per decennium in primis ſuppeditavit Xenodochium, conſcribere in animo eſſet. Quæ nobis contigerint de cortice peruviano experimenta, ea candide enarravimus, quidquid aliis evenerit : *non enim tenemur de facto alieno*, ut cum Gottlieb Ludwig loquamur, *de proprio verba facimus*, *teſtamurque*, præeuntibus Clariſſimis in arte Viris laudato Archiatro IGNATIO SOMIS, NICOLAO BROVARDI, CAROLO FRANCISCO ALLIONI (*), & MICHAELE ANTONIO FRANCESETTI, ſummi in ægris curæ noſtræ commiſſis emolumenti fuiſſe uſum temperantium, aperientium, ſubacidorum, quandoque acidorum mineralium, nec non veſicantium opportuno tempore applicitorum, nec ab horum uſu in graviorem morbum quempiam evidenter incidiſſe, uti ex adhibito cortice ſæpiſſime nobis videre contigit cum in epidemicis conſtitutionibus Taurinenſibus, tum in conſtitutione Strambini, & Cuneenſi

* Clariſſimo huic Auctori, quem tum ab inſigni in rebus Medicis perſpicacitate, tum a ſumma in hiſtoriæ naturalis ſtudio celebritate, & a medendi peritia commendatiſſimum omnes norunt, multum me debere fateor ob prima, quæ mihi tradidit humanitate ſingulari, per triennium circiter, ſaluberrima praxis monita.

neenſi. In hac potiſſimum male ceſſiſſe Chinam chinam teſtes mihi erunt experientiſſimi Medici Cuneenſes ALEXANDER JORDANO Protomedici vices gerens, PETRUS LANTERI (*), FRANCISCUS JORDANO, BARTHOLOMÆUS FORNERI in Noſocomio Civitatis Medicus, SPIRITUS FRANCISCUS BELMOND, CAROLUS MARIA VICTORIUS ANSELMO, nec non lectiſſimus Collega meus IGNATIUS COSTA, cujus vetus amicitia, & contubernium ab aliquot annis in Noſocomio mihi in deliciis ſunt: hujus amantiſſimus Pater prudentia, morumque integritate probatiſſimus inter primos fuit febris epidemicæ Cuneenſis pœnas luens menſe Octobri ann. 1774. Sæviſſima enim correptus ſynocho putri, præmiſſis opportunis ſanguinis miſſionibus, & purgantibus remediis, ob quaſdam periodicas exacerbationes, eo vel magis, quum illa tempeſtate pernicioſæ tertianæ vagarentur, plures corticis uncias devoravit: ab hujus vi ſenſim ſenſimque intermittitur urinæ fluxus, alvique evacuationes nullæ fiunt, enormis ſuccedit abdominis elatio, & die, qua in conſilium vocatus fui, undecima morbi acuti profundiſſimo ſepultum lethargo ægrum invenio, fatiſcentibus Naturæ viribus. Tanto ut occurreretur morbo, una cum clariſſimo curante FRANCISCO JORDANO in ſententiam veni deſerendi corticis, huicque ea ſubſtituendi remedia, quæ vitæ vires erigerent, morboſam materiem emendarent,

(*) Medicus in Noſocomio militari, & Auctor hiſtoriæ febris epidemicæ Cuneenſis editæ anno 1776.

darent, hancque ad convenientes vias allicerent. DEO dante voti compotes facti ſumus, & vigeſimaprima cariſſimum ægrum a febre vacuum ſalutavimus (*). Jam vero etiamſi nos plurimi

* Sane præter indolem morbi, conſtitutio, qua præditus erat memoratus Vir, ſanguineo-pituitoſa, annique tempus, autumnus nempe, ſatis, ni fallimur, cur ſpeciatim male ceſſerit *febrifugum*, probare videntur. Id in centenis ægris ipſamet ſynocho putri laborantibus tum in memorata conſtitutione epidemica Cuneenſi, tum Taurinenſi obſervatum a nobis eſt. Etſi namque remedium hoc ex iis eſſe unum, quæ facilius admirari poſſumus, quam hujus, ut & aliorum, verum a principiis, quæ Chymia (§. 1.) detexit, operandi modum intelligere adverſus febres intermittentes (§. 11.) dicendum ſit, cautiſſime tamen in his adhibendum eſſe, ratione habita ætatis, ſexus, temperamenti, regionis, corporis habitus, nobis argumento fuere innumera exempla in memoratis conſtitutionibus epidemicis. Menſibus enim Junio, & Julio, ſæviente cane, curavimus in Noſocomio, perque Civitatem pueros, & adoleſcentes febribus exquiſitis tertianis detentos, quæ ab exhibito cortice miteſcebant quidem, at brevi redeuntes in multos menſes contumaciores perſtiterunt: nec difficile id captu erit, ſi perpendere velimus, hanc ætatem ob errores in victu potiſſimum, minoremque per ambitum corporis diffla-tionem vaſorum plenitudini jam multum obnoxiam id opis a cortice obtinere, ut in dies magis adaugeatur vera plethora, ob quam, propinato remedio vi ſtyptica prædito, intermittentes febres in continuas, lentaſque facillime vertuntur. Hinc facile fluit, quod ſæpius etiam per experientiam nobis innotuit in ipſamet conſtitutione, cur in ægris temperamento melancholico, & pituitoſo donatis, quibus fugandæ cauſa ſporadicæ febris tertianæ legitimæ

facere ex ſuperioribus conſtet remedia ſubacida,

---

cortex peruvianus datus eſt, hic adeo nocuerit, ut confeſtim ex intermittente febris evaſerit continua per quam difficilis ſuperatu. Neque alia ex cauſa, ad conſtitutionem quod pertinet Cuneenſem, quam a prægreſſa ferventiſſima æſtate ab autumno modo pluvioſo, modo frigido, & ventis exagitato excepta infeliciter ceſſiſſe Chinæ chinæ uſum opinamur. Alios namque interiiſſe ſtertoroſos, alios apoplecticos, vel ab univerſali humorum ſtaſi ſæpiſſime in imi ventris viſceribus nata una cum notabili elatione tympanica peremptos, tardius alios, & difficilius convaluiſſe ſæpius notatum eſt: quod infortunium paſſus eſt integerrimus Vir mox laudatus Dominicus Coſta: dolores enim arthritidem ſimulantes, & numero multa per corpus diſperſa tubercula eo rem perduxere, ut ægre totam hyemem tranſegerit, &, nonniſi adventante vere, aperientium, ac corroborantium remediorum ope ſat laudabilem recuperaverit ſanitatem. Hæc ſane obſcura haud fuerunt Bernardino Ramazzini in conſtitutionibus mutinenſibus: « humor enim, *in-*
» *quit*, *in diſſertatione de abuſu Chinæ chinæ*, atra-
» bilaris ferox eſt, nec tam facile auſcultat remedio
» febrifugo, licet ab initio primarius uſus Chinæ
» chinæ in febribus quartanis ſibi famam, & nomen
» comparavit, aut ſi paululum febrem infringat,
» non multo poſt ferocior caput exſerat. In tempe-
» ramento quoque pituitoſo ſuſpectus eſt Chinæ chi-
» næ uſus, & quamvis paroxyſmi febriles in febri-
» bus ſpuriis poſt longum uſum Chinæ chinæ con-
» quieſcant, prolixior eſt reſtitutio ad priorem ſani-
» tatis ſtatum: craſſi enim, & pituitoſi humores poſt
» hujuſce remedii uſum fixiores fiunt, & minus dif-
» flabiles: homines corpulentos, & præpingues ſen-
» ſim cachecticos factos ex uſu hujus febrifugi, ac
» tandem longum poſt tempus obiiſſe obſervavi, li-
» cet aliæ culparentur cauſæ.... æſtivo tempore fe-
» licius exhibetur hoc remedium, & ſub fine autum-
» ni, hyemali parum fauſto ſucceſſu.»

moderate *antiſeptico*-aromatica, nec non veſicantia (*) in curatione ſynochi putris, non ii tamen ſumus, qui hæc, tanquam genericas illam

(*) Quibuſdam fortaſſe videbimur nimis faciles eſſe in veſicantium uſu adverſus morbum, cujus cauſa proxima ab humorum *alkaleſcentia*, & acredine pendet: cauſam hanc ultro, libenterque concedimus, ſubdentes nos haud latere momenta, quæ contra horum uſum prolata ſunt ab eximiis Auctoribus ſæculi XVI., inter quos enumerari poſſunt Thomas Burnet in Theſauro Medicinæ Practicæ lib. 14., ſect. 19. pag. 563.; Rodericus a Fonſeca de febrium acut. & peſtilent. remediis pag. 67.: Isbr. Diemerbroeck de peſte lib. 3. cap. 3. pag. 157., lib. 4. hiſt. 56. pag. 278., V. Bernard. Albinus de morbo Hungarico pag. 22., Jo. Freind Commentar. in Hippocrat. de morbis vulgaribus cap. 9. pag. 85., Jo. Heurnius de febribus cap. 19. pag. 121., Jo. Steph. Helfr. Jungken prax. med. pag. 445. &c., Jo. Maria Lanciſius de nativ., atque adventitiis Romani Cœli qualitatibus pag. 219. §. 22. pag. 225., uti videre eſt in libro de noxiis paludum effluviis, Felix Platerus praxeos Tractat. 2. de febrib., Octavius Neruci Lettere Fiſico-Mediche, Frider. Hoffmannus medic. rational. ſyſtemat. Tom. 4. pag. 1. ſect. 1., & diſſert. de veſicant. & fonticulorum circumſpecto in medicina uſu. Jo. Jacob VValdſchmit in Tom. 2. operum Medico-Practic., Danniel Sennertus de febribus, Albertus Haller in collect. pract. Tom. 5. pag. 415., Ludovicus Septalius in animadverſionibus, & cautionibus Medicis lib. 5., aliique innumeri. Verumtamen ſi ad morbi ſtadium, quo hæc in uſum vocanda eſſe affirmamus, paulliſper attendere velint adverſarii, tum indicationes perpendere hæc ſuadentes, demum *alterantia* remedia conſiderare, quæ ſimul, eodemque tempore præſcribuntur, nos a culpa immunes teſtabuntur. Re enim vera præter communia omnibus febribus tempora duplex aliud in hac febre admit-

lam curandi leges positivas proponere contendamus: contrarium nobis suadent diversa hominum temperamenta, varia ætas, varius sexus, diversus cæli positus, & alia multa: id nobis sat erit, si quæ perspecta, & rationi, experientiæ, diligentique observationi magis consentanea sunt, proposuisse videbimur. *Putamus siquidem*, ut verbis utamur jam laudati Ludwig, *hæc adeo perspicua esse, ut cuilibet curanti, prudentia adhibita, maturoque consilio, patere possit,*

---

tendum fore opinamur. In primo materies ubique turget, vera, aut apparente plethora vasa distenduntur, febris acuties, ejusque conjuncta sæviunt quam maxime: In secundo, emenso fere morbi statu, vires ægri collabuntur, pulsus debiles fiunt, urinæ imminuuntur, alias supprimuntur, elevatur abdomen, & motus humorum cum progressivus, tum intestinus adeo languent, ut nisi remedio stimulante, & corroborante efficaciter erigantur, Natura vincendo morbo impare, aut universalis *stasis*, vel lethales *metastases* sequantur. In illo epispastica cane pejus, & angue vitanda esse constanter credimus: at in secundo, quum juxta Hippocratis monita, *urgentiori sit succurrendum; tuto, ac cito curandum sit*, hæc adeo necessaria esse opinamur, ut his nullum promptius remedium, efficacius nullum adinveniri queat, *quum lex sit*, inquit Clarissimus Tissot de sinapismis loquens in dissertatione de febribus biliosis, *humanæ machinæ indita, morbum ex consensu nervoso minui contraria irritatione, suadebat ratio inferiores irritare partes*. Præterquamquod acida, subacida, nitrosa, & emollientia affatim assumpta opponuntur ne morbosis affectibus ab *alkalina* cantaridum vi oriundis? Stranguriam, dysuriam, inflammationem vesicæ nunquam vidimus ab hisce natas, neque evectam ægrorum damno humorum ad corruptionem proclivitatem,

possit, quid sibi in simili casu præstandum sit (in præfatione ad adversaria medico-practica). Ad nos quod attinet præcipua hæc elicuimus corollaria longo rerum usu confirmata: nec veremur uti verbis clarissimi DOMINICI COTUNNII inquientis: *hæ animadversiones si me fefellerunt, felicissime sim deceptus, nec multum optem, dum tanta curandi felicitas mihi stet, ab innoxio errore liberari* de Ischiad. *nerv.* §. 4.

---

etiamsi mala hæc pluries in illis ægris notaverimus, in quibus ne verbum quidem factum fuerit de vesicantibus. Qua de re nos unquam horum pœnituit eo, quod dictum est, tempore applicitorum: pœnituit pluries nimiæ procrastinationis. Neque in ancipiti me deserit eximius, & præclarissimus Præceptor meus jam laudatus Archiater IGNATIUS SOMIS: centies enim remedium hoc magna cum felicitate se adhibuisse testatur in hisce febribus, nec minus prosperum sortita esse effectum remedia subacida affirmat Clarissimus Auctor, cujus solidam, prudentissimam, & circumspectam medendi rationem perpetuo colam, & plurimi faciam.

COROL-

COROLLARIUM PRIMUM.

TUto exhiberi posse Corticem peruvianum, si tempus remissionis diuturnum satis, & perquam notabile fuerit, & sine gravioribus symptomatibus factæ inflammationis, aut abscessus fientis, aut morbi alieni commixti, vel exorti.

II.

PEriodicas accessiones, si quæ sunt, præsente synocho putri, attento animo considerandas esse: atque ubi constiterit, has in incremento, & statu ad declinationem, & intervalla comparatas insigniter gravius ægros adflixisse cum vitæ periculo, indicatur usus Corticis peruviani.

III.

NUnquam dandum esse in morbi acuti principio, augmento, & statu; supprimit enim salutares Naturæ motus: multoque minus indicatur, si coctionis signa in urinis appareant, aut cocta materies per alvum, vel cutis poros eliminetur: ob spasticam enim, quam in vasa inducit, contractionem *stasis* humorum enascitur, vel ansam præbet transmissionibus ad vitalia viscera, aut inflammationibus erysipelaceis artem quamlibet superantibus.

IV.

IV.

HInc ubi vaſa apparente, aut vera plethora turgent, ubi nimius, & acer calor, pulſus oppreſſus, aut concitatus, facies præturgida, reſpiratio gravis, moleſta tuſſis, ſive hæc recens fuerit, aut inveterata, febrem comitantur, religio ſumma habenda eſt in exhibitione Chinæ chinæ: delirium enim, aut pulmonum labem acutam, vel chronicam ſæpiſſime accerſit.

V.

VAlde pertimeſcenda eſt China china, ſi in primis viis materies turgeat, aut in ſanguineo latice: aut ſi elatum fuerit abdomen, vel tenſa hypochondria: enormem enim creabit *meteoriſmum* alvum, & urinas ſupprimentem; inteſtinorum inflammatio in gangrænam facile tranſeuns pediſſequa erit, aut inſipientem ex ſapiente reddet ægrum, aut ſtertoroſum.

VI.

EO vel maxime abſtinendum a China china ſuadent in ſynocho putri *diatheſis* ſcorbutica (*Thomas Sydenham de China china verba faciens*), rheumatica (*uti videre eſt apud Gerardum Van-ſwietten de morb. epid. ad calcem cap.* 7.), venerea, ſcrophuloſa, & ſimilia, quemadmodum haud convenit ſi viſcerum obſtructiones fuerint, aut podagra, vel humor

arthriticus actu sui faciant, aut tentent deflagrationem: notantibus siquidem mox præfatis Auctoribus, labes scorbutica a *febrifugo* adaugetur, & lentor, quicumque fuerit, multiplicabitur.

VII.

SI synochi putres a pauca humorum quantitate, at qualitate acerrima pendeant, sintque inter harum conjuncta hæmorrhagiæ, partiumque solidarum summa debilitas, China china idoneis corroborantibus, & *stypticis* unita conveniet: in hoc enim casu adstringentis, & robur addentis remedii, non *alterantis* vices supplebit.

VIII.

PRofutura admodum dicenda China china est, quoties, omnimoda facta prægressæ synochi putris judicatione, superstiti debilitati, & laxæ humorum compagi occurrendum est, eo vel magis quum præter vim, qua pollet, corroborantem remedium esse possit *prophylacticum* adversus febres periodicas, quæ huic morbo sæpissime succedunt.

TAURINI.

EX TYPOGRAPHIA IGNATII SOFFIETTI.

VIII.

6

85